PAVLI IOVII NOVOCOMENSIS EPISCOPI NVCERINI REGIONVM ET INSVLARVM atque Locorum:

DESCRIPTIONES:

videlicet

BRITANNIAE,

SCOTIAE,

HYBERNIAE,

ORCHADVM,

Item

MOSCOVIAE ET LARII LACVS,

QVIBVS (VT EIVS OMNIA SCRIPTA HOC POSTREMO volumine complecteremur) de Piscibus Romanis libellum verè aureum adiunximus.

BASILEÆ,

Anno Salutis humanæ, M. D. LXXVIII.

BRITANNIÆ, SCOTIÆ, HYBERNIÆ, ET ORCHADVM DESCRIPTIO.


PAVLI IOVII

Cum operis Procemio, ad Alexandrum Farnesium Card. amplifs.



N magnis varijsq; laboribus studiorum meorum, ALEXANDER FARNESI *Senator amplißime, quum ad quandam ætatis atq; iudicij maturitatem peruenissem, is mihi vigiliarum omnium longè uberrimus fructus, ac nobilißimus proponebatur, qui editis ingenij monumentis, ad certam laudem proueniret, quoniam hæc & honesta viuenti, & præclara demum vita defuncto, vti extincta planè inuidia, videretur. Itaq; vehementer contendenti eam mihi minimè defuturam arbitrabar, si scriptis nostris commendatione hominum tanta authoritas accederet, vt ea posteros illustribus exemplis copiosè & grauiter erudire ac oblectare cum dignitate posse censerentur. Quod me, dijs ingenuo labori benignè fauentibus, magna ex parte rebar consecutum, quum rerum toto orbe gestarum Historiam diffusè condiderim, orsus ab aduentu Caroli octaui Galliæ regis in Italiam, perpetua serie in hunc annum, quo infirma vel certè male fida pace nutamus, & ab inueterata Principum dissensione, funestiora nobis ominamur, nisi Paulus* III. *Pont. max. auus tuus suo pio ingentiq; consilio, & diuina virtute feßis rebus opportunè succurrat. Sed quanquam ea, quæ scripsimus, in omnes humanæ vitæ casus, militarisq; negocij disciplinã præceptis abundare, & plurimum prodesse existimentur, fieri tamen nequit, vt magnoperè delectent, quando ea funesti sæculi fortuna fuerit, vt vel his qui non viderũt, nequaquam sine maximo dolore & lachrymis legi poßint. Quis enim nisi prædurus, & planè barbarus, Italiam diuturno ardentem bello, orbatam antiqua dignitate, expoliatam libertate atq; opibus, ipsamq; demum vrbem Romã nefarijs armis circumuento, captoq; sacrorum principe, funditus euersam non lugeat? Quibus malis, quũ nullũ adhuc finẽ desperata pace videamus, nobis fortiter & sapiẽter inducẽda erit acerbißimarũ rerũ obliuio, eaq; præsumenda tanquã salutaris medicina leniendo dolori. Itaq; sepositis historijs, atq; animo ad hilaritatẽ cõposito, à via veterum studiorum non ineptè deflectemus, vertemusq; nos molliore stylo ad iucundißimũ scribendi genus, vt non studiosis modò, sed delicatis, atq; ocio languentibus peramœni, pulcherrimiq; operis nouitate voluptatẽ afferamus. Id verò excogitatũ iampridem, & diu mihi pensitatum, vel efflagitantibus amicis, post impetratam à grauioribus officijs quietẽ in hoc ætatis flexu, vti planè emeritus, tranquillitati atq; ocio reseruabam. Sed tu quiescenti, torpentiq; ingenio meo quasdam faces admouisti, cupiditate certè mea, & virtute tua dignißimas, quum me honesto sacerdotio, quod in patria optaram, potius quàm speraram, exornandũ iudicasses. Igitur totius cogniti orbis imperia, & regiones, Regum opes, ingenia, res gestæ, gentiũ item mores, viri bellica virtute aut literis clari, terrarumq; demũ dotes, atq; miracula illustri enarrata ordine nomini tuo dicabuntur, nouis etiam nominibus pro virili, quod, vel eruditißimis operosum atq; difficile videatur, vetustati restitutis. Neq; in vniuersum perobscuri atq; impediti operis munus teneritate potius ac audacia, quã certa spe viriũ & ratione suscepisse existimari velim, quum multarum artium præsidijs abundè instructi, versatiq; in luce, & iucunda familiaritate maximorum Pontificum, summorumq; regum, ac demum freti memoria rerum propè omnium nostræ tempestatis, nobis ipsis vel per tenebras euntibus, satis amplum, & clarum lumen præferamus; Quod profectò maiestati Romanæ vrbis acceptum retule-*

rim, grāues ſcilicet legationes, eruditaq; uirorum ingenia, uel ab extremis terrarum finibus læta ſemper & rediuiua fertilitate ſuppeditandi, unde hæc ignota multis & uariantium mendacijs obſcurata liquidiſſimè nocerentur. Europam itaque, antiquorum ſequentes ordinem, primò deſcribemus inchoantes à Britannia, quanquam iure optimo ab Italia quondam omniũ gentium uictrice, ipſaq; ab æterno fataliq; imperio augusta Vrbe initium capere deberemus, ut uotis ſcilicet in ſede ſacrorum, & ueræ pietatis domicilio religiosè nuncupatis, concepto operi boni euentus numen adfulgeret, ſicuti bene auſpicatum, & felix uirtuti tuæ, ac optimi pontificis gloriæ optaremus.



NITIVM itaque operis mihi erit BRITANNIA, Ptolomæi ſcilicet authoritatem atque ordinem ſequẽti, quum ea tum ad occidentem ſolam prima terrarum occurreret, nondũ (hercle) patefacto claſsibus noſtris ulteriore Oceano, qui demum ab admirabili nauigatione, noui orbis incognitas anteà gentes, ac opulanta regna nobis aperuit. Eius autem inſulæ ſitum ac menſuram, cæli, ſoliq; naturam, & undiq; circumfuſi, pulſantisq; Oceani promontoria, & ſinus repetiſſe, ambitioſi laboris eſſe putauerim, quando ea diligenter à C. Cæſare, Strabone, Plinio, Tacito, Ptolomæoq; grauiſsimis authoribus deſcribātur: hinc quoq; fit, ut minus curioſè, prǫalta uetuſtate extinctas, inuolutasq; fabulis prǫclarǫ bello gentis origines attingã, quarum rerum fidem penes Polydorũ Vergilium relinquemus. Is enim in Britãnia diu uerſatus, regum omnium hiſtorias operoſo uolumine publicauit. Noſtri autem muneris erit, attigiſſe clariſsimos reges, & prǫſentis ſeculi faciẽ legentium oculis ſubieciſſe, uniuerſa ſcilicet Inſula in ampliores, nobilioresq; prouincias diuiſa, repræſentataq; obiter fama regis, qui cũ anteà ab illuſtri pietate uirtuteq; animi in ſummũ ueræ gloriæ faſtigiũ eſſet prouectus, ab inuſitata demũ mentis perturbatione cõmotus, inde deciderit. Britannos igitur aut indigenas fuiſſe, aut ſi aliunde migrantes claſsibus aduecti ſint, antiquiſsimã gentem omnino crediderim, utpote qui inſulæ nomẽ indiderint, quæ anteà Albion uocaretur, quòd à Belgico litore ſpectantib. albentis arenæ margines procul oſtẽdit. Paruêre ab initio Britãni diuerſis ſimul regibus, & diu de libertate fortiter dimicãtes, ſuſtinuere Romana arma, quib. uicti, potius quàm domiti ita ceſſerunt, ut eos tanquã gentium uictores honeſto quodã amicitiǫ nomine colere uiderentur. Lucio autẽ Coilli filio rege cẽtum fermè annis à partu Virginis, Britanni Chriſtiana ſacra ſuſcepere, ſed religio ritè concepta animis metu Cæſarum, Diocletianiq; in primis, aliquandiu nutauit, quum ſæuis cruciatibus, atq; ſupplicijs plecterẽtur, qui antiqua numina colere deſijſſent. Ita ſub Eleutherio Pontifice religio cœpta, pietate demum ac authoritate Diui Gregorij firmata ſtabilitaq; eſt. Floruit autem Britannia magni Conſtantini Cæſaris indulgentia & ſtudio, quòd is Britanna matre in Britannia natus, atq; ibi præclaro auſpicio ſalutatus Imperator, natale ſolum beneficij, & dignitate cumulandum atque attollendum ſuſcepiſſet. Sed non multo poſt afflictis diſtractisq; Romani imperij opibus, quum Perſæ in Syriam penetrarent, Traciam euaſtarent Gothi, Europam uerò omnem Hunnus Atila ingenti terrore concuteret, inuaſêre armis extremam Britanniæ partem Picti primùm è Noruegia, deinde Scoti ab Hybernia tranſgreſsi, quorum ferociam atque impetum Britannus diu non tulit, pulſusq; illum terrarũ tractum, qui in Borealem finitur Oceanum ad Caledoniam ſyluam, hoſtibus reliquit. Ea Tuedo amne, & mon

& monte Cheuiota, qui oblongo transuersus dorso in australem Oceanum excurrit, diuersisq́ itē duobus æstuarijs ab reliqua Britānia dirimitur. His naturę limitibus Romani imperatores perpetuas munitiones adiecerunt, quæ opera demum ac ui hostiū diruptæ, & cōsumptæ æuo, extantibus adhuc reliquijs, ab indigenis ostenduntur. Cōtulisse autem in id opus multarum legionū labores Hadrianus fertur, sed imposuere demum aggeri muros, atq; item certis interuallis opportunas turres Seuerus Cæsar, & aliquanto post Aetius, Hunnica uictoria insignis. Itaque quod claustris exclusum fuit, desertū ab indigenis externo uictori cessit. Hinc demum uarijs bellorū successib. effectum est, ut prouincia ab aduentu nouæ gētis nomen acciperet, adoptataq́ in regnum, Scotia uocaretur. Hyberni Scotos à se ortos prædicāt. Picti autē eorum socij, pictura corporum, ac horrida feritate terribiles, è Noruegia transfretasse produntur. Has C. Cæsari fuisse cognitos uidemus, qui Glasti Herbæ succo in aciē euntes, ora artusq́ depingerēt: sed nihil de eorum progenie nobis adhuc cōpertum, liquidò tamē apparet, eos olim fuisse Pictos, qui hodie Syluestres appellātur, ex his fortasse Scythiæ populis, quos Agathyrsos antiquitas appellarit. Id genus hominū bello ferox, uictu cultuq́ asperum, diuersum lingua, nō usq; adeò barbarum uidetur, ut summas uirtutes, pietatem, iustitiā, probitatē nō agnoscat: quādo quidē Sylnestres nihilomnino uel Scotis socijs, uel Anglis hostib. cōcedāt, si mores actionesq́ omnes ad æquitatē atq; animi magnitudinem reuocentur: facilè enim hos, & illos cōtumeliæ nomine fallaces, improbos, & raptores uocant, quū ipsi Hybernica simplicitate, & quadā Romana grauitate mirab.les, spectatæ frugis, & ob id innoxiā ducant uitam, & peregrini fructus illecebras aspernentur, quippe illis amictus toga, plurimumq́ alba, Romanæ in humerū reiectæ persimilis: cętera in eundē habitum, erectæ ceruices, elata pectora, constantes vultus, comæ etiā circuntonsæ, nec enormes barbæ, crura nuda, & pedes ad surā crassis peronibus calciati. Christum porrò uerū Deum colunt, sed sine sacrorum mysterijs, quòd literarum expertes, satis se pios putēt, si ad superos purā, atque integram mentē attulerint. Proximi sunt lingua, sicuti & terrarum situ Hyberniæ populis, Holtanijsq́ præsertim, quibus uti consanguineis per cōmercia miscentur. Nā Cathanesia syluestrium regio (ita Scoti appellant) toto occidentalis Oceani litore, supra Monam insulam, in Holtanos obuertitur. Parent Scotorum regibus, qui nihil omnino tāquam antiquissimis socijs, amicisq́ tributi nominè imperant, præter auxilia, & ea quidē parcè, nisi externum & graue bellum ingruerit. Cæterùm Scoti exactis (ut diximus) Britānis, occupatę armis eius regionis possessione confirmati, quum dulce prędari, arare inglorium, & dānata pace armis rem quęrere maximè decorum putarent, latrocinijs & subitis incursionibus Britanniam uexare cœperunt: sed repugnāte fortiter, & tutante fines suos Britanno, eò cōtentio minutis prælijs, & dispersis protracta uiribus in iustum & ualde attrox bellum erupit. Nam Scoti ualidiore coacta manu, disrupto (quem diximus) Seueri muro, patefactisq́ Romanis aggeribus, populariter in hostium fines irruperunt, obuia quæq; igne ferroq́ uastātes. Itaque Britanni superioribus iniurijs & præsenti calamitate permoti, coiuêre in unum, & cum hoste protinus signa contulêre, sed ingenti utrinque cæde edita, Scotus prælio uictor discessit. Apud Britannos enim cōtinuis Romanorum Cæsarū delectibus, cùm copia & robur, tum ipsa etiam uerorum militum soboles penè extincta defecerat, quū ipsorum iuuētus opinione uirtutis

in supplemēta legionum ad extremas usq; orientis regiones, & Parthica bella duceretur. Multis siquidē antè annis consuetudine atq; admiratione Romanorum militū, qui perpetuis hybernis inueterassent, certoq; præsidio subactæ gētis pacem tuerentur, nō disciplinam modò rei militaris studiosè percipere, sed moribus exquisitisq; artibus ac literis ingenia excolere, & facūdiam imitari didicerant. His moribus instructi, paratiq; in occasionem, elatis ceruicibus diuturnæ seruitutis iugum excussêre, intestinis scilicet bellis & diris barbarorum incursionibus lacerata Romani Imperij maiestate. Verùm eam recuperatæ libertatis lætitiam (ut suprà diximus) Scoticum bellum protinus excepit, nec illis cladibus certo atq; expedito consilio remedia præbebantur: quum uniuersæ uires, & publicæ salutis consensus diuersis ciuitatum ac Principum sententijs frangerentur: optimus enim quisq; Regulorū, ut maius atq; præclarius studium in cōcilijs ostentaret, ab æqualibus uirtutis æmulatione dissidebat. Itaq; salubri decreto quod necessitas expresserat, administrādi belli summam ac imperium detulerunt Vortigerio, qui bellicæ rei peritia cæteros anteibat: & ne quid supremæ potestati ad arbitrium deesset, Regij nominis coronam addiderunt, qua perpetuò insignis foret. Fuit is Vortigerius Britannorū Rex primus, sed admodum infelix & à fatali eius consilio, patriæ maximè funestus: nam ubi uirium suarum periculum aliquoties cum Scotis improsperè fecisset, & sæpius insigni cura, nouisq; delectibus bellum reparasset, conductitio externoq; milite reprimendos hostes statuit, ne regnum tantis tamq; assiduis affectū malis omni iuuentute penitus orbaretur. Nec multo pòst magnis muneribus, magnisq; stipendijs è Saxonico littore, Anglos pugnacissimam inter Germanos gentem accersiuit. His dux erat Hengistus, cuius ductu Scoti prælio uicti cæsiq;, & intra fines longè lateq; compulsi, Britannos lacessere desierunt. Porrò Vortigerius, uti gratum liberalemq; decebat, patriæ liberatoribus agros diuisit. Cantiumq; imprimis, & Orientalis plagæ regionē ad habitandū dono dedit, ut paratam haberet manum qua Scoti, si rursus fines irrumperent, ad internitionem delerentur. Vortigerius quoq;, ut supra fœdus initæ societatis ualidiore uinculo nouæ gentis amicitia firmaretur, cum Ronice Hengisti filia nuptias fecit, nec læto quidem auspicio, quū externæ iuuenculæ ob excellentē formam infausto amore captus, ut importunæ libidini uacuum thorum pararet, priorem uxorē, ex qua iam filium in spem Regni susceperat, iniquissimè repudiasset. Ab hac nuptiali face incendium illud cepisse constat, à quo demum urgentibus fatis, Britannia omnis Imperij ac nominis amissa dignitate conflagrauit. Hengistus enim qui ab illuuie paludum suarum, dānataq; illa squallentis patrij soli sterilitate in frugiferas & peramœnas regiones peruenerat, ingenio immani perfidiosoq;, ut regnum occuparet, in generum arma conuertit. Ad eam uerò cōflati belli famam Angli qui in Germania reliqui erant, ab Hengisto protinus euocati ad ditem prædam, & ex facili uictoria ad beatas sedes in insulam transfretarunt, tantaq; fuit eorum multitudo & uirtus, ut per multos annos Britanni cum Anglis de possessione patriæ dimicarint, alternāte sæpe fortuna belli euentum, quum Hengistus nihil priore dedecore permotus, sibi etiam Scotos in societatem belli accumulata perfidia coniunxisset. In his funesti belli ærūnis, Vortigerius animi dolore confectus interijt. Dedit & iustas sceleris pœnas, Hengistus in acie à generi filio trucidatus. Excepêre protinus utrinq; bellum & Imperium noui Reges, quos iura sanguinis, suffragia procerum, & bellica

uirtus

uirtus extulerant, tantáque rabie per aliquot annos eſt dimicatum, quum Galli etiam Britannis inuſitato barbarorum ſcelere circumuentis humaniter auxilia tranſmiſiſſent, ut Angli amiſſa ingenti ſuorum multitudine, tribúſque Regibus hoſtium ferro trucidatis, dignas feritate atque perfidia ſua pœnas daturi uiderentur: Niſi fata, quæ iam tum Anglicæ uirtuti imperium deſpondebãt, Arthurum Britanniæ regem, ætatis ac animi uigore & rerum geſtarum gloria florentem, in ipſo uictoriæ curſu rapuiſſent. Hic eſt ille Arthurus ab ingentis animi magnitudine per omnes gentes Poetarum præconio celebratus, qui rotundę menſæ proceres ab Heroica uirtute lectiſsimos in amicitiam auguſtiſſimis deuotos legibus conſecrauit. Cuſtoditur religioſè ea menſa adhuc admirandæ uirtutis teſtimonio memorabilis, oſtentaturq; claris hoſpitibus, uti nuper Carolo Cæſari apud Vintoniam urbem, ſed exeſis multa carie circa margines Procerum nominibus, quæ dum ab imperitis inflicta maieſtati uetuſtatis iniuria inſulſo iudicio reponerentur, penè effectum eſt, ut ueluti ſuſpecta fide, magnam partem dignitatis amiſerit. Sed Arthuro ſua laus & conſecrata literis æternitas manet, uel ipſo etiam ualde rudi ad operoſum ſepulchrum elogio, quod diuinante poeta inſcriptum, & Laconica breuitate periucundũ appoſuimus, ut non Glaſconiæ tantùm ubi ille tumulatus, ſed ubicq; terrarum diuini Regis meritò legeretur: HIC IACET ARTHVRVS REX QVONDAM. REXQ; FVTVRVS. Cæterùm Arthuro Britanniæ Fato potius quàm ſuo importunè ſurrepto, alij atque alij reges ſucceſſere, ei prorſus ingenio fortunaq; diſsimiles, ita ut Cadouoladrus, omnium ſupremus, cùm aduerſis prælijs fractus, deſtitutusq; Gallorum auxilijs animum deſpondiſſet, Anglis uictoribus Regni nomen atq; inſulam reliquerit. Tum uerò Britannis montes aſperi, paludesq; cœnoſę perfugium fuêre. Ea regio in occidentẽ ſolem directo latere protenta, pertinet ad Sylures authore Tacito, pugnaciſsimam olim gentem, Ordouices & Cornaulios, qui demum ab Anglis uictoribus nouum nomen tulerunt. Vualles enim omnes appellati, quòd externos & alia lingua loquentes Germanicè ſignificat. Ita indigenæ Britanni patrio ſolo pulſi, in aſpera & naturæ clauſtris maximè tuta regione cõſederunt, Anglis nequicquam per conciſa itinera perſecutis, & demum miteſcente eorum ferocia permittẽtibus, ut eſſet uictis ſedes, quæ ipſorum uirtutis & felicitatis famam teſtaretur. Eiecti per hũc modum compulſiq; in montuoſam & ſterilem inſulæ partem Britanni, quòd ſua in primis multitudine atque agri minimè uacantis anguſtia premebantur, magna expeditorum ac audacium coacta manu, in proximum Gallię litus Armoricum traiecerunt, Diabolitis & Siſmijs, calamitoſæ & deſperatæ genti clementia quadam & neceſsitate ſedes in ora præbentibus, ad Vidanam præſertim portum, qui Breſtius hodie dicitur. Ab his colonis Gallicę Britanniæ principatum liquidò conditum uidemus, qui ætate noſtra dotali iure in prouinciam redactus, Galliæ regibus acceſsit. Huius extremæ continentis populi Britonnãtes appellati, diſtincta penitus à cæteris Gallis lingua utũtur, utpote quę olim omnibus inſulæ gentibus communis extiterit, uel hac inſigni coniectura, quòd Vuallij (ut ſuprà diximus) ueteres Britanni à Britonnãtibus intelligãtur, nec utroſq; uel Angli uel Scoti omnino percipiant: ut hinc quoq; eorum opinio facilè refelli poſsit, qui uetuſtam Gallorum linguam apud Britonnãtes conſeruatã exiſtimant: quũ Romani frequenti commercio, perpetuiſq; legionum hybernis, toti Gallię Romanum ſermonem intuliſſent. Per hunc modũ ad An-

glos origine, lingua, habitu moribusq; Germanos, penes quos uictoria stete-
rat, insulæ imperiũ peruenit. Regium autem nomen apud Hẽgisti progeniem
mansit, præclara nobilitate ac inuiolata successione pręcellentẽ. Verùm Angli
Duces finitimas Cantio regiones per minora imperia sibi diuisêre. Nec multo
post opulẽtia apud singulos adaucta, & crescẽte cupiditate inter eos bellũ exar
sit, sed cum ciuilium armorũ tumultũ citò oppressit Rex Adelbertus, ualidis
uiribus iniquietos & turbidos propè ultus. Hic egregiè fortis, & maximè pius
diu regnauit, omni Britannia ad Christiannos ritus insigni professione atq; ex
ercitatione reuocata. Ab hoc Adelberto ad Henricũ octauũ hodie regnantẽ,
quatuor & triginta reges intercisa sæpe stẽmatis linea numerãtur. Nã Daci ab 1
Aquilone Duce Suenone, qui postea imperium filijs tradidit, & demũ Normã
ni è citeriore Britannia diuersis tẽporibus in Angliã transfretantes, penè subla-
tis deletisq; Anglis, nouos reges intulerunt. Ex his fuere pleriq; crudelitate ac
auaritia infames, aliqui socordia obscuri, nõnulli etiam fortibus factis ualde in-
signes. Nã Gulielmus Normãnus haud dubiè Britannici sanguinis, stirpem ad
antiquum regij sanguinis decus in insulam reportauit. Sed eorum qui postea
regnauerunt, singularem uirtutis eximiæ & ueræ pietatis palmam tulisse uide-
tur Ricardus primus qui in Syriam profectus cum Saladino Memphitico re-
ge bellum gessit. reuocatusq; inde importuna Philippi Galliæ regis iniuria,
dum uili desumpto cultu per deuios saltus in Britanniam rediret, Viennę No- 2
ricæ à Leopoldo Austrio regulo captus, traditusq; in catenas Henrici Cæsaris
se multis pariter ærumnis atque uictorijs nobilitauit. Floruêre quoque felicia
arma Edouardi tertij regis, qui de Ioanne Gallorum rege capto speciosissimè
triumphauit. Ab hoc Edouardo Garetterij equestris ordinis ceremoniam in-
stitutam ferunt. Ii sunt bellica uirtute, uetustateq; natalium lectissimi duces,
qui solenni sacramento adacti, mutuæ perpetuæq; amicitiæ se deuouent, nec
ad tuendum collegij decus nobili conspiratione, quoduis periculum adire, &
subire mortem recusant. Garetterij autem sodales ob id appellantur, quòd si-
nistri cruris suram fibulato Baltheolo uinctam gestent, in memoriam caligarię
fasciolæ, quæ illustri fœminæ ab Edouardo flagranter adamatæ, dum illa cho- 3
ream saltaret, soluto fortè nodo deciderat, eamq; rex ipse repente sustulerat,
ut in honorem mulieris, non amatoria uanitate, sed graui & maximè hone-
sta ratione insigni Procerum tibijs dicaretur. Eius autem collegij ceremonia,
Vindisoriæ quotannis stato die, diuo Georgio equitum tutelari dedicato præ
sidente rege celebratur, mosq; est ut sodales galeam & scutum cum gentilitijs
insignibus conspicuo templi loco suspendant. In hunc ordinem, Herculem su-
periorem Ferrariæ principem, honoris causa cooptatum ab Henrico Septi-
mo fuisse audiuimus. Hic est ille Edouardus qui Caletum urbem in continen-
ti Galliæ, plures menses obsessum atque expugnatũ, Philippo Galliæ Regi ab
hinc ducentis fermè annis ademit. Imperium autem ætate nostræ Henricus Se- 4
ptimus uarietate casuum, alternisq; fortunæ lusibus maximè illustris, Henri-
co filio reliquit: optima pace nouisq; legibus ac externorum regum amicitia
cõfirmatum. Is enim ab exilio adiutus Gallorum opibus in insulã transgressus,
Ricardo rege patentibus in campis uicto atque interfecto, ad Imperium euase
rat: Quum Ricardus Edouardi regis eiusdemq; fratris sui filios impuberes te-
stamento sibi in tutelam datos ut regno potiretur, nefariè crudelis occidisset,
pariq; immanitate sustulisset etiam uxorem, ut Elisabetham Edouardi fratris
filiam

filiam in matrimonium duceret,ad leniendã scilicet patrati sceleris inuidiam,regnũq; eo affinitatis uinculo confirmandũ, quòd ea unica regiæ stirpis hæres, legitimo iure,dotale regnum trahere uideretur: sed puella incestas nuptias abnuente,extrahenteq; eas in solennem diem,Ricardus Dijs scelerum ultoribus, acie confossus interijt,Henricusq; uictor corona illa aurea quam Ricardi iacentis Galeæ miles detraxerat coronatus Londinũ intrauit. Nec ei quicquam antiquius fuit,quàm ut nuptias cum Elisabetha,Dijs atq; hominibus longè gratissimas,celebraret.Eo enim cõiugio factionũ funesta nomina tollebãtur. Duę siquidem Regij sanguinis familię Eboracensis atque Lancastria à rubræ albæq; rosæ gentilitijs insignib. appellatæ,proceres in cõtraria studia discindebat,opportune'q; tum Eboracensis cum Lãcastria, è qua erat Henricus,iungi uidebatur,quum utriusq; familiæ iura in unum eo cõiugio miscerentur.Oppresit demum Henricus ciuilia bella,pseudoq; Edouardum deceptis falsa effigie populis cum Hybernorum & Germanorum copijs in Vualliã transgressum, prælio uictũ cepit. Nec multo pòst alter Edouardus,Edouardi regis ex Georgio fratre Clarentiæ Duce nepos, quem Londini à Ricardo carcere traditum, & à se demum rege pariter custoditum, aliquandiu seruarat, ne rerũ nouarũ cupidis sui desiderium faceret, uel adhuc imberbis securi percussus est, humanitatem scilicet omnem uincente periculo,quòd non aliter regius animus metu exolui, aut fauentis populi spes frangi posse uideretur. Hẽrico itaque Octauo,maternæ simul paternæq; prosapiæ cumulato iure populus summa alacritate regnũ detulit.Collocarat ei in matrimonium Henricus pater, Catharinam Ferdinandi Hispaniæ Regis filiam, quæ nuper Arthuro maiori fratri morbo extincto nupta fuerat.Existimabat enim uir eximiè prudens, puellam lectissimis moribus tanti Regis filiam, tanquam fœderis ac amicitiæ pignus omnino domi retinendam,quòd Arthurus tabifico tentatus morbo per nuptiales dies,uxorem minimè confecisse crederetur, idq; Iulius Põtifex unis cõcessum regib. ad prolis dignitatem ex sacris legibus indulserat,unde postea tanquam à pestilẽti origine, uti mox dicemus,& spretæ religionis, & nefariæ crudelitatis incõmoda, per repudium,& ferales demum nuptias emanarũt. Cæterùm Britãnia omnis in duas diuiditur partes, Tuedo amne,secundum aliquos olim Vedra,ut diximus,Scotiam ab Anglia dirimente.Hæc autem uarias continet præfecturas & ditiones,quarũ amplissimæ existimantur,Cantiũ,quod proximam Gallię continentẽ cõtrà prospicit:Cornubia,quæ in Armoricũ littus obuertitur: Vuallia item intercedente Oceani freto Hyberniæ maximè propinqua atq; ipsa demũ Northlandia, quæ à Septẽtrionibus Scotiæ fines attingit, & ab Aquilonę uento appellatione Germanica nominatur.Cantium retento ueteri nomine armentis frumentarijsq; agris & uirorũ ingenijs floret,in eo Cãtuaria metropolis,primario Archiepiscopatu,& diui Thomæ martiris sepulchro memorabilis,XII. miliaribus à mari distans, ubi Dobra oppidum antiquitus Daruernũ, ex celsa arce & portu celebre,quum in hunc breuissimus à Caletio Galliæ sit traiectus: sed non desunt qui Cantuariam ex antiquis literarum monumentis, Dorouernũ fuisse existimẽt. Finitur Cantiũ Thamesi amne & ab eius ostio cingẽte mari usq; ad Rhię portum Ptolomęo Nouũ appellatũ,quem in eodẽ tractu littoris Antona sequitur,Magnus portus antiquis uocatus.Hunc efficit Insula Vectis Cornelio Tacito celebrata, populo frequens & cuniculis maximè abundans. Vectiani immunes & liberi hoc uno, uti cæteris beatiores,facetissimè glorian-

tur, quòd cucullatis ſacerdotibus, cauſidicis, lupis & vulpibus omnino careant. Reſpicit autem Cantianos fines ab occaſu Cornubia, ab alijs Cornuvallia dicta, ingenti & ſenſim extenuato terrarum tractu, ſed interiacentibus aliquot prouincijs, ueluti quodam minaci cornu in Armoricum littus exporrecta. In extremo eius promõtorio, quod Ocrium olim fuit, diui Michaelis templũ cũ oppido conſpicitur. Id ab occidua linea XII. gradibus diſtat, quum Antarcticus ei polus uno & quinquageſimo prorſus attollatur. Sunt qui Cornuualliam, quod extento cornu, ut diximus, in Galliam uergat, Cornuuallıam uocitent: ego uerò à Cornauijs antiquiſsimis populis appellatã putauerim. Clariſſima autem urbium non longè à mari Exeſtria exiſtimatur, ab amne Exeſtro qui præterfluit, nuncupata. Inde magna uis ferri, plumbiq́ꝫ, & ſtanni mercatorum nauigationib. exportatur: uaſa etenim Cornuuallico ducta ſtanno, in mẽſarum uſus, argenteis fulgore atque duritie comparantur. At Vuallia Britanici ſanguinis uetuſtate, unde Henricus Septimus Pembruco in oppido natus, antiquiſsimum ab Arthuro ſanginẽ in Regiã ſedem reportauit, in tres regiones diuiditur, Dumberam, Berfronem, & Malſabrenem: in Dumbera Caermardinum priſcæ nobilitatis oppidum excellit, Vuallıorũ olim Principũ Regia. Id Vuallis omnibus iura reddit, aſſeruatis ibi antiquiſsimis legib. quibus etiam nunc, uti liberi conceſſu Regum utuntur. Vix centum ſtadijs diſtat è Milfortenſi tutiſsimo portu, unde in Vaterfordiam Hyberniæ breuiſsimus traiectus. Caermardinum autem atteſtante regionis ſitu, alludente'que etiam nomine, Maridunum Ptolemæo fuiſſe crediderim. Non longè ab eo auri & argenti ſecturæ in agro Comoſtylſo reperiuntur. Sed Vuallıj Regijs fodinarum magiſtris & operis inſidiantur, quòd eas diuitias Anglis inuideant, qua ipſi ſeueris animis contemnant atque repudient. Annuum tributum Regibus pendunt, quod quadraginta millium aureorum ſummam nunquam excedit. In Vuallia quinque epiſcopales urbes numerantur, ſi Herfordia ad Logum amnem, Vuallię tribuatur. Eminet autem Sancti Dauidis ciuitas in extremo Vuallıæ promontorio, unde in aduerſum Orientalis Oceani caput, quod Ocelũ olim, Yermouthũ hodie uocant. ſumma totius Inſulæ latitudo, ducẽtis & quinquaginta millibus paſſuum menſuratur. Ad Septẽtrionẽ aũt Bangara duobus incluſa fluminibus ſecundam obtinet dignitatem, aſpicitq́ꝫ è propinquo Angliſeã Inſulam, per tot uehementes Oceani æſtus, deuoratis Vuallıæ marginibus in altũ abreptã, quum paucis ante ſeculis cõtinenti, longo ut appa ret põte, iungeretur: ut hinc nonnulli Angliſeam nõ Monam à Iulio Agricola tranſnatante exercitu expugnatam exiſtiment: Reliquæ autem duæ epiſcopales ſunt, Aſapha atq; Landaffia, ſed nõ æquè nobiles. Porrò Vuallıæ regio cãpeſtris, & in Auſtrum uerſa, ſegetis fœcundiſsima eſt, à mari autem diſtantior, & uti ſubducta in mõtes, ad Orientem ſolem nobilium equorum greges alit, adeò ut bellicoſiſsimi omniũ Vuallıj, ubi edicto uocãtur ad bellum, ſex millia equitũ, peditum uerò ſagittariorum & haſtatorum quatuordecim milia Regibus mittãt, parq́ꝫ etiã militũ numerus ad incertos præliorum caſus domi relinquatur. Non temerè enim Reges Vuallica littora certis præſidijs tuẽtur, quòd in eam orã ab hoſtium claſsib. deſcẽſiones ſæpiſsimè factas fuiſſe meminerint. Propterea ut prima prouinciarum & honore uetuſtæ propaginis, & littoris opportunitate, & numero atq; pręſtantia militum, Regum filijs obtinenda regendaq́ꝫ imperio ad non dubiã ſpem regni conceditur, quoniam ab Vuallıæ

Principatu

Principatu uti certissimo successionis gradu in Regiam sedem ab ipsis defuncti patris exequijs protinus ascendat. Quarta aũt est Nortlandia prouinciarũ longè amplissima, si multorum simul Regulorum ditiones à Thamesi ad Trentã atq; inde usq; ad Tuedum uno nomine cõprehẽdamus: aduersis enim Oceani littorib. ab ortu in occasum, & his quos diximus ingentib. fluuijs à Borea in austrum terminantur. In hac urbs Yorca summã obtinet claritatẽ, Eboracum antiquis dicta, uictricis legionis sede, & Seueri Imperatoris morte insignis. Ab Eboracense Archiepiscopo & totius Scotiæ & Orchadum Insularum Præsules sacra petebant, sicuti nunc petuntur à Scotis, tanquam à Primario uniuersæ Britanniæ. At supra Eboracum uersus Scotiã ad Orientalẽ Oceanum Northumbriæ uicina urbs est Duuelmũ Antistite opulento bellicosoq; ualida, & diui Cutheberti sacro uexillo memorabilis. Id aduersus Scotos quum bellũ ingruit solenni sacrorũ pompa ad non dubiam uictoriam profertur, neq; spem Anglorum piè fidentiũ aduerso pugnæ exitu unquã fefellit, quòd hostes extẽplò terga uertant, ubi tutelaris Diui consecratam imaginem aspexerint. Cæterùm huius amplissimæ atq; opulentissimæ regionis frequentes urbes innumeraq; oppida nominatim percurrisse, eius fuerit, qui unius tantùm Britanniæ peculiari diligẽtia descriptę dũ minima quæq; suo ordine cõsectatur, modico labore pariter & modica laude sit cõtentus: nobis uerò, uniuersus terrarũ orbis suscipitur ingenti cursu peragrãdus, secundissimosq; periucũdo ac utilissimo operi deos atq; homines futuros arbitramur, ut uel ambiguo merito laboris nostri fama in extremos usq; terrarũ fines extendatur. Dicemus igitur in Anglia septem esse urbes lõgè clarissimas, in queis est Conuentria in ipso totius Insulæ umbilico posita, populi frequentia cæteris fortasse præstantior, nisi dignitate sacri Antistitis & præterfluẽtis amnis opportunitate careret. Ad Oriẽtalem uerò Oceanum, celebre uisitur Nordouicum, à puella uate fatidica, sicuti Germanicè sonat, appellatum, nòn longè ab eo quod diximus Vermoutho promontorio: id enim recuruatum in dextrum littus cum amne interfluente urbem ostioq; eius nauigiorum ualde capaci, tutum & perãplum efficit portũ. In eadem quoq; ora uersus Boream sita est Hulla, portuoso Emporio nobilis, qua Humbrus amnis, recepto Trenta insigni flumine latissimis faucibus in Oceanum euoluitur. Cõtrario autem ad Occidentem solem insulæ littore, ubi Vuallia duob. magnis finib. excauata peninsulæ similis rotundam frontem in Oceanum extendit, duo sunt Emporia Gallicis ac Hispanicis negociationib. opportuna in intimo sinu terminoq; Vuallicæ ditionis urbs Cestria, præterlabenti Deæ fluuio apposita, & Bristolium in aduerso pariter sinu quo Cornuuallia terminatur. Hanc urbem ualde amplã atq; opulentã, portu celebrẽ efficit Rotostathybius amnis, qui hodie Sabrina dicitur. In ora autem quæ continenti Galliæ ad Meridiem opponitur sexta urbiũ Hamptonia securitate atq; amplitudine magni portus, obiectuq; Vectis Insulæ, & poetarum carminibus inclyta celebratur. Archiepiscopales uerò sacræ ditiõis Angliæ primates principatum obtinent duæ urbes, Eboracum, ut diximus, & Cãtuaria, quarum imperijs Episcopales una omnino & uiginti urbes parent: harum maiora minoraq; sacerdotia cõferendi ius habent reges indulgentia Romanorum pontificum, ita ut facilè quos uelint fortunis ac honores cumulatè nobilitent: hac uerò Regia liberalitate ditati Antistites, propinquos demũ suos ubi Rex operã eorum exegerit, equis, armis atq; pecunia exornare cõsueuerunt. Sed harum

& denique omnium famam Londinum penitus obſcurat, Tribonantũ, ut plures exiſtimant ciuitas C. Cæſari nuncupata, totius Britanniæ Regia, multarum gentium commercio nobilitata, exculta domibus, ornata templis, excelſa arcibus, & denique rerum omnium copia atque opum affluentia ualde mirabilis. Inuehit in eam totius orbis opes ipſe Thameſis, ſtatis horis Oceani æſtibus ſuperbus & tumidus, onerarijs nauibus ab oſtio per ſexaginta millia paſſuum, ad urbem, tutò ſemper & prealto alueo nauigabilis, ripas undique peramœnæ uillæ prædijs atque nemoribus diſtinctę paſsim exornant. Ab inferiore ſcilicet parte Regia domus Grinuicia, ita Anglicè à uiridarijs appellata, & in ſuperiore Prætorium nomine Ricemundum, in medio autem nobilis ſtructuræ exurgit Veſtmonaſterium ab occidua parte urbis, Foro iudiciali, ac diui Petri templo Regum ſepulchris exornato longè clariſsimum, atque item uigeſimo lapide à Londino Regium caſtrum Vindoſoriæ ſecedentis Regis peramœna ſede, aliquotq́ Regum ſepulchris & Garetteriorum ſodalium cerimonia percelebre. Olores autem agminatim læto occurſu & feſtiuis cantibus ſubeuntes claſſes excipiunt, ac undique retia ſiluris atque ſalmonibus expanduntur. Iungitur ad urbem lapideo ponte ſtructura mirifici operis, nec ullis imbribus augetur, quum unis tantùm æſtibus intumeſcat. Secundum Thameſim & aquarum mole, & longitudine curſus cæteros exuperant, Humbrus, recepto Trenta in immenſum adauctus, qui olim Habus fuit, & Sabrina margaritis etiã nobilis, qui è ſummis Vualliæ montibus raptis ſecum multis torrentibus in Briſtolicum ſinum effunditur. Adiacent autem Britanniæ permultæ minores inſulæ, & in his tres admodum inſignes, Mona, Vectis, & Angliſea, quę & authoritatem parentis, ac dominę conſequuntur. Vigent & duo Gymnaſia, alterum apud Oxonium ſupra Thameſim, alterum Cantabrigiæ non longè ab Eliſienſis urbis paludibus. In hæc ingenuorum adoleſcentium ingens numerus ad perdiſcendas liberales diſciplinas concurrit: profeſſoribus enim ſtipendia, alimentaq́ diſcipulis antiqua Regum liberalitate, & optimorum Antiſtitum teſtamentis perſoluuntur. Condidère ſiquidem multis ante ſeculis ſupra uiginti ſeptem collegia, conſtructis è lapide peramplis ædibus, quibus ad ſempiternam beneficentiæ laudem, conditores cognomenta, & inſignia reliquerunt. Nihil autem ea iuuentutis educatione, inſtitutioneq́ modeſtius, religioſius atque frugalius, ut non mirũ ſit inde proueniſſe ingenia, quæ in Dialectica, Philoſophiaq́, & in Sacris demum literis Europam omnem ſubtilitatis admiratione compleuerint, & tum maximè quum maioris noſtri, repudiatis optimarum ſcientiarum antiquis authoribus, nihil potius quàm difficiles captionum nodos, & conuoluta diſputantium ſophiſmata mirarentur. Attulère & in Britãniam ab Italia literas Gręcas ætate noſtra Thomas Linacrus Galeni nitidiſſimus interpres, qui Arthuri Principis præceptor fuit, æqualesq́ eius duo Gulielmi, Latomerius atque Grocinius, qui nobili, ſed irrito uoto uertendi Ariſtotelis negotium cum Linacro ſuſceperunt. Et Ricardus Paceus Romæ legationis munere perfunctus, quem confecto ſtudiorum curſu dum præclara ſcriberet, atra bile uexatum interijſſe nuper audiuimus. Viget adhuc inſignis exiſtimatio probitatis, atque doctrinę in Cuthberto Tonſtallo Duvelmenſi Antiſtite, à quo editus eſt in perdifficili materia lepidus Arithmeticæ libellus. Is demum Mori, atque Roffenſis amicorum cæde perculſus, iratum regem fideli obſequio leniendum exiſtimauit. Sed inſignem ex optimis literis laudem tulit Gu-

lit Gu-

lit Guilelmus Lilius, qui primus ciues ſuos Latinè, atque diſertè loqui feliciter docuit. Huius autem filius Georgius Lilius in Italia elegantioribus ſtudijs excultus, mirificè paternum decus tuetur condito uolumine, in quo ſummorum Pontificum, & Cæſarum Romanorum ſeries Laconica breuitate deſcribitur. Ab eodem quoque ſolerti ingenio Britanniæ tabulam ſpectamus eruditè, graphiceꝗ depictam, ac ideo inciſam in æs, ut cum hoc opere ad certiorem iucundioremꝗ regionis notitiam coniungatur. Sunt etiam Londini Iuris ciuilis interpretes, à quibus honeſtiſsimi iuuenes in ſchola peculiares leges à regibus conditas perdocentur. Eæ ſunt partim Anglica, partim Gallica lingua conſcriptæ. Aulæ ſiquidem & foro, Gallicus ſermo familiaris, adeò, ut ad nobiliores etiam fœminas perueniat: nam apud nobiliores Latinæ quoque orationis lepor in honore eſt, ſicuti in ipſa præſertim Henrici regis filia Maria, & tribus Thomæ Mori filiabus, uehementer admiramur. Regi autem qui ab æquitate atque iuſtitia laudem quærat, ex arbitrio nouas leges concipere, & promulgare non licet: neque enim legitimæ ratæꝗ habentur, niſi trium claſsium iudicio ſanciantur. Nobiles enim, ſacrati itē uiri, & populus tres claſſes efficiunt, quæ genera hominum aduocare Reges ſolent, ubi aliquid paulò grauius de ſalute, aut dignitate publica fuerit ſtatuendum. neque enim bellum ſuſcipere, de pace agere, aut pecuniam imperare ritè poteſt, niſi claſſes decreto dictis ſententijs ſubſcribant. Iiſdem autem ferè legibus atque ſupplicijs, uti apud nos latrocinia, homicidia, & furta uindicantur, ſed de his criminibus per tormenta non quæritur. In duodecim uirali nanque iudicio, coniecturis & teſtibus cauſam peragere mos eſt, quòd in alios quàm in maieſtatis reos aculeo, & fidibus agere inhumanum putent. Eo modo, & in forēſibus cauſis ad Tribunalia teſtium numero litigatur. Ac fuit aliquandò tempus, quo teſtimonia utrinque pari numero dicerentur, & iudices ob id ſuſpenſi, ipſos teſtes more pugilum inter ſe depugnare cogerent, atque inde uictores demum, uti fide præſtātiores, ſecundus litis euentus ſequeretur. In uniuerſum toti Britanniæ, Cantioꝗ præſertim: id enim cæteras partes nobilitate facilè ſuperat, mira cœli clementia, miraque ſalubritas, nullæ uſquam niſi in Vualliæ montibus præaltæ niues, nulla horridior glacies, nulla denſior pruina conſpicitur, ut omnino mirandum ſit, quum Arcturū propius ſpectet, quòd multas Galliæ ac Italiæ regiones, molli tepore, & benigna quadam temperie prorſus antecellat: hyemis enim ſæuitiā frequentes pluuiæ, nec eæ quidem procelloſæ à fulgetris & tonitru, uerùm ſedatæ, & pingues facilè diſſoluunt: æſtatis autem calores, quos uel longiſsimi dies excluſis penè noctibus afferunt, perennibus auris mitigantur. Aer enim in toto circumagentis ſeſe anni curſu, omnibusꝗ diebus ſemper aliquo ſpiritu mouetur, recreatꝗ terræ naſcentia, pecoriꝗ ſimul ac ipſis hominibus innoxiè, iucundeꝗ blanditur, nonnunquam tamen ſæuiſsimis quatitur uentis, quorum flatus locorum opportunitate defugiunt: non enim uti in Italia uidemus, in collibus, & ſpeculis uicos atque oppida cōdunt, quòd depreſsiora loca: cauasꝗ ualles, & flumina libentius ſequantur, uillasꝗ item ob eandem cauſam, aut iuxta ſyluas ædificent, aut uirētium arborum peramœna corona præſepiant. Regio enim omnis diſtincta aruis, nobilitata paſcuis, irrigata fluminibus, non in aſperos montes attollitur, ſed frequentibus collibus leniter intumeſcit. Ii ſicuti perpetuo uerè continuis floribus ueſtiuntur, cōualles amniculis & nitidis fontibus ſcatent, campi alia atque alia ſegete luxuriant, & cuncta demū prata

& nemora perenni uiriditate spectantibus arrident. Inde illa prælata cæteris lanarum uellera, quæ ab Asiaticis usque gentibus expetuntur: innumerabiles enim minoris pecoris greges pabulosis in collibus interdiu, noctuq́ꝫ summa securitate diuagantur: neque enim lupos timent, quos nunquam uiderunt, quũ magistratus seuero edicto uniuersos proscripserit, præmijs percussori cõstitutis, tãta cura, ut reges non aliud aliquando à mõtanis Vuallijs, quàm tricena luporum capita quotãnis exegerint. Damnatur autẽ uel ob id Britanniæ cœlum, quòd crassa sæpe obductum nebula, suam illam uitalibus salubrem gratissimamq́ꝫ oculis serenitatis lucem eripiat: unde fit ut plerique nec ineptè quidem arbitrentur illũ ætate nostra insignem morbum uni Britanniæ peculiarẽ, & certis annorum interuallis repetitum haud dubiè procreari, qui pestilentię similis multos mortales excitato sudore mortifero, paucis horis interimat, nisi sudantes stragula ueste, & multis lodicibus inuoluti, aduersus illabẽtem aerem accuratissimè muniãtur. Cæterùm Angli suapte natura ualetudine firmissima perfruuntur, adeò ut ne medicis quidem indigeant: hos enim sola probè nobilitas accersit, aut mercatorum urbana multitudo, quum luxu & perpetuis gulæ uoluptatibus dediti, cruditate sæpissimè diuexentur. Mirabile enim dictu est, quantum obsoniorũ una domus singulis diebus absumat, sternuntur mẽsæ in omnes penè horas calentibus semper edulijs onustæ: uino etiam non è Gallia modò, uerùm & ab Italiæ Vesuo, Cretaq́ꝫ petito, ut non mirũ sit euocari inde morbos, Fataq́ꝫ præueniri, quũ natura nullis unquã recreetur inducijs, nec tantis gulæ contumelijs oppugnata sufficiat. Verùm eam intemperantiæ culpam eo nomine facilè prætexerunt, quòd densato aere uim occultã inesse prædicẽt, qua maturius quàm cæteris in locis cieri famem, atque alimenta flagitari languentibus arterijs arbitrentur. Ferunt Anglos totius culinæ disciplinam, epularumq́ꝫ apparatũ, quum in Gallia latè imperarent, Gallis & Belgis tradidisse, quod nec probro eis cesserit, quandoquidẽ insigni cum laude, eas quibus Parisiorum senatus tot ciuitates feliciter gubernet, belli, pacisq́ꝫ leges sapiẽtissimè cõstitutas in Gallia reliquerint. Nobilitas fermè omnis urbes fastidit, castellis, & liberiore cœlo gaudet, generisq́ꝫ dignitatẽ una maximè uenatione, & falconum aucupijs tuetur: passim enim ceruorum greges, & eorum præsertim qui palmosis cornibus, & albis maculis sunt insignes, in campis, atque nemoribus uenantibus occurrunt, multæq́ꝫ huiusmodi feræ ad uoluptatem, subitamq́ꝫ uenationem uallatis uiuarijs cõtinentur. Adseruare & ardeas mos est, quibus cũ hierofalcones uolatu, & unguibus contendant, & in stagnis passim, atq́ꝫ fluuiolis magnus anatum pictarũ numerus reperitur: quæ inde adnatantiũ canũ assultu, latratuq́ꝫ exturbatæ opimam iucundamq́ꝫ prædam falconibus prębẽt: neq́ꝫ ulla est in his exercitationibus plenior uoluptas, nisi fœminæ laboris, & prædæ comites accesserint: eas enim miris obsequijs colunt, neq́ꝫ eas adamare, osculariq́ꝫ Gallico more, attrectareq́ꝫ liberius, inuidiosum, & turpe existimãt, quando apud generosos nihil omnino honestius, atque nobilius uideatur, quàm ab illustri fœmina gratiam iucundissimis officijs promereri, nec earum uiri facilè adduci possunt, ut ab ea lætissimæ uitę libertate quicquã de uxorum pudicitia parũ humaniter, aut malignè suspicentur, uerùm deprehensis ueniæ locus eripitur, quòd illico uel approperatæ necis, uel grauis ignominiæ pœnã subeant, & nonnunquam ligneis inclusæ caueis, spectãdæ irridẽdæq́ꝫ pueris in ædium uestibulis exponantur. Mulieres in uniuersum candore, atque habitu formo-

formosæ, uenustæq; sunt, sed quę à nostris elegãtia cultioris ingenij, eruditisq; morũ illecebris facilè superentur. Iuuentus uerò ipsa liberali ore, cultuq;, & uirilibus mũdicijs maximè decora cõspicitur: nec desunt aliqui, uti in lõga pace, & procul à militiæ muneribus, qui paulò delicatius, atq; morosius, pectine comã componere, uerriculo uestem mundare, ornatu, incessuq; nimiũm elegantiæ studiũ præferre soleãt: neq; enim illos, uel Saxonico sanguine procreati, truces uultus, obstinatosq; animos gerunt, quum iam pridẽ, à finitimis gentibus egregiè temperata corporis, atq; animi dona retulerint: sed apud imperitũ uulgus, eosq; præsertim, qui nunquam peregrinentur, superbia, & externorum contemptus uiget: quoniam infelicem admodum, & semihominem eum putent, qui alibi, quàm in Britannia sit natus: eũ porrò longè infelicissimũ, qui extra insulam in aliena terra spiritũ, atque ossa reliquisse contigerit. Britãni reges, uetere instituto, nullos omnino pedites, aut equites præter prætorianos in pace stipendijs alũt: eos enim quũ bellum indicitur, è prouincijs euocãt: delectibus uerò habitis, ubi ad signa cõuenerint, trimestre stipendiũ descriptis in alas & cohortes persoluũt, castrensesq; demum leges publicantur, tãta edicti seueritate, ut alea, & chartulis depictis lusisse, eũ, qui res uenales in castra deferat, uiolasse, adduxisse scortũ, & in iurgio gladiũ strinxisse, capitale sit. Ita ut non omnino sit mirum, si nos uetere illo bellicæ artis honore decidimus, quũ in hac tam fœda, & pestulenti criminum impunitate, improbi pariter, ac imperiti nostri duces; omnẽ penitus disciplinæ rationẽ amiserint, ut id decus, quod in maioribus nostris perillustre quondã fuit, apud externas gentes cum gloria translatũ, amissa obiter libertate spectaremus. Apud Anglos in sagittis unica spes, & præcipua gloria crebris uictoriarũ prouentibus parta, eas minimo digito crassiores, bicubitalesq; & hamato præfixas ferro, ingentibus ligneis arcubus intorquẽt, tanta ui arteq;, ut ad primos præsertim ictus squamosum thoracem, aut loricam facilè penetrẽt, feruefactamq; gestatu, & multo sole, ferream equestrẽ armaturã sæpe transfodiant: his à Romana disciplina mos est uallum gestare, & dimẽso spatio protinus, ubi hostis fuerit in conspectu, in orbem se munire: palos enim teretes utrinq; ferrea cuspide præacutos mira celeritate solo defigũt, & infesta acie paululum proclinatos in hostem uertunt, in medio autẽ ferreus est anulus, quo perpetua sæpe reste uinciuntur: Circumuallati in hunc modum, læuo pede in ima parte palum premunt, & diuaricatis cruribus, pansisq; lacertis sagittas excutiunt, interna autem sinistri brachij ossea tabella conteguntur, ne manicæ rugis recurrẽtis nerui impetus elidatur, eo quod diximus, munitionis genere Gallici equitatus impetum, quo nihil acrius, atque uehemẽtius olim fuit, egregiè sustinuerunt, quum alij temerè illatis se præacutis uallis induerent, alij uel in postrema acie sagittarum grandine sternerentur. Hac una prælij ratione Ioãnes Galliæ Rex apud Pictauos ingẽti prælio uictus, captusq; est, & Philippus ad Samarobrinã accepta magna clade profligatus, apparuitq; ea in pugna sagittarios Ligures, qui scorpionibus arcuferreis uterẽtur, quo teli genere atq; animis hostibus pares uideri possent, neq; ui, neq; celeritate Anglis fuisse comparandos. Reliqui porrò Angli pedites Germanico more, hasta longa, grauiq; secure, sed longioribus gladijs pugnant, hos quũ strinxerint arreptam a balteo ferream breuem cetrã læua prætendunt. Equites autem consuetudine Gallorum, & Belgarum cataphracti, sagis, cristis, pictisq; equorum tegumentis exornantur: inter omnes Vuallij equites, leuis armaturæ munia habilius,

atq; petitius implent, qui lancea non lateri adpreſſa, uti cæteræ gentes, ſed locata firmataq; fœmori, & dextrorſus inclinata in hoſtes deferuntur. Venêre & in uſum Anglis ſclopetarij, ſed qui nondum uti rudes in aciem prodierint: tantà autem diligentia, diſciplinaq; caſtrenſibus legibus parent, ùt quum multa in Anglo milite externi duces requirãt, inuicti, & cõtumacis animi robur minimè deſiderent, quòd decoris, ac ignominiæ metu mortẽ non timeant: neque enim quiſquam iterum pugnare ſatis honeſtum putauerit, ſi locũ deſerere, aut terga dare uitandi periculi cauſa contingat: quandoquidem ignominiam præſenti morte effugere maximè glorioſum exiſtiment: propterea antiquã apud eos cõſuetudinem uigere cõſpicimus, qua ſtrenuiſsimus quiſq; & nobiliſsimus canẽtibus ſignis equũ dimittit, ut exæquato omniũ periculo, & ſpe fugæ penitus adẽpta de ſalute ſimul, & laude nauiter dimicetur. Florẽt hodie militari laude illuſtres, Thomas Hauardus, qui Surreio patri in prima acie lõgè fortiſsimã operam nauauit, quũ ad Tuedam interfecto Iacobo Scotorum rege inſignis ea uictoria pararetur, atq; item Thomas Dacreus, qui in eadẽ pugna equitatui prępoſitus mirificè dimicauit, & Carolus Brãdonus, cui ob inſignem uirtutem ab Henrico ſororem Ludouico Galliæ regi antea nuptam in matrimoniũ collocatam uidemus. Manet & eximium bellici nominis decus Arthuro Plãtagenetæ præfecto claſsis, qui Edouardo Rege genitus exiſtimatur. hos Duces, & milites Henricus coroborata per multos annos imperij authoritate ad bella ducit, pace autem miro gẽtis obſequio quietè facileq; gubernat. Accedũt & perãplæ opes, quibus potentię, ac uiriũ exiſtimationem ſecundiſsimè tuetur: quotannis enim ſupra centum miriades aureorum nũmûm in ęrarium & fiſcum referuntur, quę pecuniæ ſumma auri pondo decem milia excedit. Hi redditus cõſtant, partim ex antiquis, ſtatiſq; prouinciarũ tributis, partim ex patrimonio Regio, in quo eſt Lãcaſtriæ ducatus, atq; item ex portorijs, & uectigalibus: nã uendundis lanarum, & metallorum mercimonijs, prærogatiua Regi eſt certis nundinis magni quæſtus, quibus non prius mercatorum conditoria aperiri fas eſt: quàm Regiæ notę mercimonia diuẽdantur. Augent & mirũ in modũ Regias facultates, patrimonia pupillorum: nõ enim ante pubertatem paterna hæreditate perfruuntur: certa ſiquidem lege pueri in tutela Regis uiuũt, addicunturq; magis proceribus, atq; ſacratis uiris maximè opulentis, ut apud eos armorum, ac literarum, & totius deniq; aulæ diſciplinam cumulatè percipiant. Sed incredibile eſt dictu, quãtas nuper opes Henricus coaceruarit, quũ Eccleſiarum patrimonia diriperet, & ſubinde donaria tẽplorum ferè omniũ ſceleſta rapacitate in fiſcum auerterentur, ita, ut hodie inter cæteros Reges, ſed inſigni cum infamia pecunioſiſsimi nomẽ obtineat. uix enim trãquillis temporib. medietatem legitimi redditus in rei familiaris ſumptus impẽdit. Is omnino cõſtat prætoriani militis ſtipendio, cuſtodia arcium, cõuictu regio, uenationis apparatu, & liberalitate erga Regũ legatos, quos ſplendidè muneribus ornare conſueuit: exigua nanq; eſt corporis cuſtodia: nam ea ſagittarijs equitibus ducentis, & centum ſpiculatoribus peditibus impletur. Aula porrò diuertente in uillas, & uarijs uenationibus ſtudente Rege, uix ad dignitatẽ frequens uiſitur, tũ uerò nobilitate omni, ornatiſsimisq; proceribus refertur, quũ legationes adueniunt, aut de Republica accitu Regis, fuerit conſulendum. Nullum præterea militem præter prætorianos, quos diximus corporis cuſtodes pace alit: canente autem belli claſsico ardẽtibus ſcilicet omniũ animis ingẽti odio in Scotos, &

Gallos,

Gallos, pecuniæ exæquato trium claſsium onere ad rationem deſcripti cenſus imperantur,quibus Regij quæſtores militi ſtipẽdia perſoluunt: neq; quiſquã facilè exiſtimauerit,quanto ſtudio ſingularum ciuitatũ imperatę pecuniæ conferantur.Has tãtas opes,& copias imperio obtinet Henricus, cui natura fortunaq; ſupra Regium nomen, incomparabilis formæ, & maximè præſtantis ingenij accumulata dona contulerunt: nemo enim è tota Anglica iuuentute, uel ſtaturæ dignitate, uel uenuſtate oris, uel neruorum firmitate Regem æquauit. Multis porrò diſciplinis liberaliter inſtructus,ita in literis, ſacrisq; ſtudijs profecit, ut mira ingenij fœcunditate librum aduerſus Lutherum publicaret. Nec ea quoque deerant, quæ in ipſa bellicæ laudis fama numerantur: nemo enim ipſo Rege Britannicum ingentem arcum cõtentius flexit,nemo certius,atq; ualidius ſagittauit.Cum uerò lectiſsimi equites cataphracti in ludicro ſpectaculo infeſtis haſtis cõcurrerent, tãta arte id bellici uigoris munus implebat,ut ei propoſita uictoribus præmia integro populi iudicio,ſæpiſsimè deferrẽtur.His tantis uirtutibus una caſtrenſis gloria deerat,cõcepta iam animo ingenti,aductaq; Anglorum ſtudio quæ ſua conſuetudine bella, & prælia tranquillitati, atque ocio præferebant,odio ſcilicet illo in Gallos à maioribus tradito deflagrantes, à quibus ſe Galliæ regno & tota ferè cõtinente pulſos indignabantur,& quòd ignominię nomine in fortibus uiris iras accẽdebat,Puella præſertim duce,quę miraculo quodã excitatis Gallorum animis,felici auſu ſuperiores uictorias,atque illa decora Anglię uirtutis trophæa penitus euertiſſet. Vexabãt per id tempus impotentia Gallorum arma Iulium Pontificem,urgente premẽteq; Ludouico duodecimo: hic enim Põtificio exercitu facilè profligato,occupataq; Bononia,illum in ſummũ amittendę dignitatis diſcrimen adduxerat,cõſpiratione aliquot Cardinalium,qui rerum nouarum cupidi,profugiq; ab Vrbe,Pontificem metu territum indicto Piſis cõſilio ad dicendã cauſam uocabant. Quibus difficultatibus Pontifex iniquè, atq; improbè circumuentus,à maximè pijs Regibus opem implorauit, detulitq; Henrico Pij cognomen, quòd Põtificiæ dignitatis cauſam religionis incluſam rationibus prõptiſsimè defendendã ſuſcepiſſet.Per hunc modum ipſis quoque Hiſpanis,Heluetijsq; Põtificis iniuriam ſe defenſuros profitẽtibus, & cupiditati Anglorũ ſimul, & Regiæ uirtuti præclarus honeſtatis ſpeciè locus eſt patefactus:nã Dorſetiũ Regulũ cum ualidis copijs in Aquitaniã,qua Cãtabriæ iungitur, ad fontem Rabidũ miſit,ualidaq; inſtructa claſſe citerioris Britannię littora populatus,ad extremum in Galliam cum ſexaginta milibus armatorum traiecit.His adiunxerat Germanicas legiones,& Belgarum equitatum,ipſo etiã Maximiliano Cæſare,qui præeſſet regia pecunia conducto.Itaq; Terouana in Morinis oppugnata, captaq; eſt,obiterq; Gallorum exercitus qui ad opem ferendã aduenerat, in itinere memorabili prœlio profligatus:amiſſa enim ſunt Gallorũ dedecore omnium propè alarũ ſigna,capti Duces,ut in his nobiliſsimus omniũ Rotelinus: eadẽ quoq; felicitate conterrito,& cedente Ludouico,Tornacum in Neruijs expugnatum. Exinde nulla unquã Ludouico,& Gallis ignominiſior dies illuxit, nulla lætior Hẽrico & Anglis,quũ equitatus Gallicus tot bellis ſemper inuictus, uix tentato certamine ad cõſpectum hoſtis fœdiſsimè profugiſſet:ex aduerſo, Henricus effuſè lætaretur,quòd in Anglis felicem uim illã,& diſciplinã multis auorum memoria Gallicis ſpectatã bellis minimè defuiſſe cõſpiceret, & quantos ipſe ſpiritus gereret, quantiſq; opibus arma tractaret præclarè hoſtibus oſtendiſſet: nam

per eos quoq; dies Scoticæ uictoriæ nuncius amplißimarũ uirium opinionẽ ac ipsam deniq; Regis fortunã clariorem fecit: magna quoque inde splẽdoris, & liberalitatis quæsita laus, & eo quidem maiore celebritate, quòd id unum Galli in Ludouico parco semper, ac in donatiuis militaribus peranguste moderato, milites requirebãt: nemo enim erat, ex omni ordine, uel externorũ, uel suorum, qui non argentea uasa, torques aureos, arma deniq; & equos, aut militaria dona, ac insignia ad decus tradenda posteris, uirtutis ac amicitiæ nomine nõ præferret. His rebus gestis, ne reliqua uti iam planè uictricibus armis continentur, adaperta aggrederetur, tẽpore exclusus in Angliã rediјt, ubi demum honesta contentus gloria interprete Rotelino, qui captiuus erat, cum Ludouico pacem confecit, dataq; ei est confestim in matrimonium Maria ipsius soror, ut eo affinitatis uinculo certius atq; solidius pacis fœdera sancirentur. Cæterùm eæ nuptiæ cùm ætati, tum ualetudini ualde importunæ, Ludouico uitæ exitũ celeriter attulerunt: sed eadẽ pax cũ Francisco successore inuiolata permansit, cũ quo demum transgressus in cõtinentem apud Caletium in colloquium deuenit. Ibi ambo reges iunxère dextras, mutuaq; securitate alacres omnib. liberalitatis ac humanitatis officiјs certauère: celebrata enim subinde conuiuia ingenti luxu, decursionesq; æditæ admirabili rerum omniũ apparatu, ita, ut ostentatis utrinque regiјs opib. longè pulcherrimum tot externarum gentium oculis spectaculum præbuisse uiderentur. Sed in tanta celebritate, tantoq; procerum & regulorum, omnisq; generis hominũ cõcursu, nihil omnino regibus ipsis augustius atq; formosius fuit, quum ætate inter se fermè æquali, & eximiæ proceritatis, & Martiј decoris ad regium planè habitum mira dignitate cunctos anteirent. Excepit, & paucos post dies Carolum Cæsarẽ designatum, qui ab Hispania classe deuectus in Anglia appulerat: inter duos enim infestis iam planè animis de abrumpenda pace cogitantes, uolebat existimari disceptator & arbiter, quum uires haberet ad terrendum, si quis paulò durius & contumacius, uti æquum foret, ipsius iudicio parère recusasset: exæquatas enim amborum opes esse cupiebat, ut hunc, & illum, ancipiti illius studio, & uoluntate suspensum spe metuq; pariter in amicitia cõtineret. Sed exorto mox bello inter Carolum Cæsarem, & Franciscum regem, quo summas Europa omnis adiјt calamitates, in partes Cæsaris recesit, neque prius ab eo est diductus, quàm nefariјs Cæsarianorum armis, direpta Vrbe Roma, captoq; Clemente Pontifice, execrabile & longè maximum Christianæ religioni vulnus est inflictũ: sacrosancti enim Imperiј casum insigni pietate miseratus, Pontificẽ pecunia iuuit, impetrãte Vberto Gambara Legato, qui Romanæ cladis, captiq; Pontificis miserias opportunè retulerat, adhæsitq; Gallis egregio consensu, ut captus Pontifex libertati & pristinæ dignitati redderetur. Verùm non multò pòst, eum uotorum omnium compotem, insani amoris inuasit morbus, nimiæ scilicet eius felicitati illudente Fortuna: captus enim illecebris Annæ Boleniæ, quæ inter Reginæ puellas in aula erat, ut complexu legitimo potiretur, Catharinæ uxori repudiј libellum misit: neq; enim aliter Bolenia, quàm in spem coniugalis thori, regiæ libidini obtemperatura uidebatur: erat enim equestri familia, ingenio autem pudoris specie ualde astuto ambitiosoq;, adeò ut quũ extremos amoris fines uel in secreto accubitu, uerecundè & cõstanter pernegaret, reliqua omnia ad torquendum Regis animum artificiosa lasciuia, & blanda quadam improbitate largiretur. Fauebat Annæ uoto Regisq; flagitio, Thomas Vuolseius Cardinalis Eboracensis,

racensis,

racensis,qui tum in summo gratiæ atq; potentiæ loco conspicuus erat,uir ingenio peracri,sed prauo, & multis malis artibus pestilenti.Is dira & sibi demum exitiali adulatione repudij causam æquissimi iuris esse disserebat,quo'd Arthuro fratri anteà nuptã sacræ leges Henrici uxorẽ esse prohiberent, profitebaturq; nõ defuturos sacri iuris peritos,atq; Theologos è Lutetiana præsertim schola lõgè clarissimos, qui dictis sententijs repudio subscriberent: cupiebat enim regem amatorijs uoluptatibus implicari, nouisq; nuptijs maximè uxoriũ reddi,ut ipse unus supra omnes mortales ambitione & fastu intolerandus plenissima usurpati imperij potestate potiretur. Alebat & insanas spes Regis Clemẽs pontifex,recenti obstrictus beneficio,&in graui pariter iniuria nequaquam ex animo Cæsaris placatus, ita ut nulla uti decuit, libera seueritate Regem à tam fœdo incœpto deterreret, sed benignè frequentibus legatis polliceretur se in ea repudij lite iure consultorum iudicia secuturum. Venit subinde Bononiã ad Clementẽ,ad id suscepta legatione,Thomas Boleniæ pater,missusq; est in Britanniã Campegius Cardinalis, ad cuius tribunal Catharina Regina uirili prudentia causam dixit.Cęterùm diu extracta pudendæ litis iudicia eum euentum habuêre, ut fermè omnes ab adulatione discederent, & Pontifex deposcente Cęsare contra repudiũ decerni duodecim uirali sententia pateretur. Tum uerò Bolenia coniugij spe deiecta, Rexq; ipse repulsæ dolore concitatus, in Eboracensem authorem,suasoremq; noui coniugij omnẽ iracundiam conuerterunt, magnoq; Fortunæ ludibrio uir potentia,atq; opibus regio fastigio proximus, puncto temporis existimatione,fortunisq; omnibus spoliatur,ac in exiliũ eijcitur,usque adeò eum in meritas pœnas urgentibus Fatis, ut ex itinere retractus inter rerũ capitaliũ ministros dolore & metu oppressus expirarit. Fuit eius interitus cunctis ferè lætissimus,quo'd paucis ante annis EdouardumBuchingamium Ducẽ uirtute,atque opibus inter proceres insignẽ, ipso delatore iniquissimè dãnatũ Henricus occidisset.Porrò Henricus mirũ in modũClementi Pontifici,à quo se elusum,syngraphaq; deceptũ dictitabat, mirè infensus legem tulit,qua Romani pontificis authoritatẽ abrogabat,Regijq; iuris templa & sacerdotia omnia censebantur,cõsultore præsertim Cromuele, Eboracẽsis artib. eruditè instructo,quem Bolenia omni studio, atq; ausu erga se paratissimũ è sordido loco ad ipsum regendæ Reipublicæ munus extulerat. Fuit ea lex iudicio maximè iniquo atq; impio cõscripta,promulgataq;:nam supra religionis causam,ad quã nemo uel improbè Christianus nõ respexerit:antiqua etiã fœdera inuiolata ante tot Regibus execrabili temeritate turbabãtur: nam eis ipsorum Annalibus liquidò cõstabat,Ioannem regem ante trecentos annos,sese successurosq; item reges,& totius regni sacra tẽpla & sacerdotia ad authoritatem, ac imperium Romani pontificis, Vicarijq; diui Petri Apostoli libera uoce contulisse,certaq; auri pondera quotannis tributi nomine depẽdisse, quum Innocentius tertius in ipsum Regem ius dicendi constituendiq; Cantuariensis Antistitis usurpantem,anathematis fulmina contorsisset, concitato etiam in eum rege Gallo, qui, ut Innocentij iniuriam indicaret,in Britanniam cum ualida classe traiecerat. Cæterùm in ea omniũ turbulentissima tempestate, ingenti sæuitiæ procella obruti Ioannes Fischerius Roffensis Antistes, multa doctrina & moribus eximiè grauis, atq; sanctissimus, & Thomas Morus epistolarum magister, quo nemo ingenij eruditione, cãdore, probitateq; melior fuit, securi percutiuntur, quo'd Catharinæ reginæ causam Christiana libertate defendissent,

defectionemq́ꝫ à Romano Pontifice uti criminosam atque impiam uel in lõgo carcere cõstantibus animis essent detestati. Maturauit Fischerio necē nuncius ab Vrbe, quo Henricus eum à Paulo tertio Pontifice, qui ad exornandã, attollendamq́ꝫ uirtutem Clemēti successerat, Cardinalem renunciatũ esse certior fiebat: sed Fischerius an id resciisset, iussu Regis interrogatus, se cũ honorem neqꝫ appetisse unquam neqꝫ expectasse respõdit. Morus autem tanta animi magnitudine, dum Accẽsi uoce damnaretur, apud iudices concionatus est, & cum rectissimæ cõscientię decreta aduersus repudiũ, usurpatamq́ꝫ sacrorũ tyrannidē, Christianarum legum authoritate roborasset, & ut meliorē Regi mentē darent Deos precaretur, inexpiabilem inuidiã Henrico peperisse uideretur. Nec multo pòst Catharina regina ab ægritudine animi tabefacta moritur, quum Mariã filiam regia spectatam indole, uiroq́ꝫ maturã, erepto Principatus honore, sæuitia patris in ordinem redactam conspexisset: exinde Bolenię regia ornamenta omnia tribuuntur. At Paulus pontifex, ubi Henricum à sacrosancto Pontificiæ maiestatis imperio immani crudelitate, atqꝫ auaritia defecisse didicit, quanquam acri admodũ cura, & iusta ira commoueretur, nihil tamen grauius secus ac antè Clemens fecisset, in Regem uti impiũ decernit, quòd Regis animũ tantis sæuitiæ fluctibus perturbatum leniēdum potius mollibus præceptis, quàm ulla omnino contumeliã exagitandum arbitraretur. Itaque in Roffensis interfecti Cardinalis locum, Reginaldũ Polum Britannũ supra generis nobilitatem optimarum literarũ eruditione, & Christianæ uirtutis laude clarissimum, euocatum Patauio in Vrbem, senatorē facit, galeroq́ꝫ purpureo protinus exornat. Nec multo pòst, quòd Polus sanguine regi esset coniunctus, maiorēq́ꝫ inde secũ authoritatē allaturus esse uideretur, legatus in Britanniã mittitur, ut familiaribus pijsq́ꝫ sermonibus ea cõmemoraret, quæ ad sanandã Regis mentem pertinere uiderentur. Sed quum Polus in Galliã peruenisset, uenit ex Anglia Brianius ad Franciscũ regem, qui ipsum uti Henrici hostē ex fœdere sibi uinctũ tradi deposcebat: ita Gallis Henrico studentib. in Belgiũ retrusus, ibiq́ꝫ aliquãdiu luculentissimo usus hospitio Herardi Marchij Cardinalis Leodiensis, irrita demum legatione ad Vrbem redijt. Exinde Rex adaucta tot claris funeribus animi feritate, Henricũ Montacutũ, Poli Cardinalis fratrem, & Corteneium Exoniæ Marchionem ipsius Regis consobrinum, qui dudũ tumultu Northlãdico summa fide, uirtuteq́ꝫ regis copijs prǽfuerant, insigniq́ꝫ Regis amicitia erãt conspicui, securi percuti iubet, eo nomine dãnatos, quòd in tanta templorũ strage à consilijs Regijs libera uoce discessissent, sed proculdubio gratia popularis, regijsq́ꝫ sanguinis præclara nobilitas, quòd ad Albæ Rosę principem domum genus referrent, inuisos occulto metu suspectosq́ꝫ reddiderant, præmente præsertim Cromuele, qui degeneri odio nobilitati infestus, maximorum heroum ruina lætabatur. Tulit & eandem supplicij fortunam Edouardus Neuillus, qui ob uirtutem bellicam, ac eximium proceri corporis decus, omnium propè horarum familiaritate Regi erat coniunctus. Margaritam quoque Cardinalis Poli matrem grandæuam anum, & quòd duos reges Edouardum, atque Ricardum patruos præferret, stirpis, ac ætatis honore uenerabilē eadem sæuitia in carcerem coniecit. Hæc propter summam generis sui nobilitatem, & probatissimæ uitæ famam maxima apud omnes parta gratia, ut Mariæ Henrici regis filiæ, quæ uiuente Catharina Principis hæreditariam dignitatem obtinebat, alumna esset, delecta fuerat. Sub id quoque tempus Bolenia quanquam

Cathari-

Catharinæ Reginæ obitu cõiugij planè secura, beataq́, minus tamẽ ea felicitate lætabatur, quòd enixa puellam in spẽ fortunatę prolis marẽ cõcipere nõ poterat. Itaq; tã scelesto, quàm ambitioso consilio, rata mariti Regis uires fœcunditati suę impares, atque alienas fore, cũ Georgio germano fratre, sicuti ferunt, concubuit, ut adulterij crimen uix credibili tanti incestus scelere tegeretur: sed immane facinus ancilla denundauit, quæ fortè cum amatore deprehẽsa, castigataq; ob id seuerius à Regina, quum pœnã timeret, periculũ festinata delatione pręuerterat. Fuère qui existimarẽt Henricum, uti plerũq; fit, importuni amoris sacietate adductũ, Bolenię mores, & occulta corporis uicia fastidisse, grauiq; ea calumnia onerasse insontẽ, oculis scilicet instabili cupiditate in Ianam Semeram cõiectis, quæ modicis orta natalibus, sed amabili uenustate conspicua mirè placuerat. Verùm supra fœdi incestus flagitiũ alię atque aliæ probrosę libidines Reginę famã proscinderũt: subortis enim indicib. accusati Norreus à cubiculo, uetus à puellari ætate adamator, & Bruertonius eques illustris, Marcusq; itẽ musica arte, & pneumaticis organis Reginã exhilarare solitus. Itaq; repẽtina quadã amoris ac odij cõmutatione, Regina testibus accusata damnatur, damnatæq;, uel obiecta negãti, ceruices gladio carnificis abscinduntur, pariq; demũ supplicio frater, & reliqui, quos diximus, puniuntur. Interficitur & Vuestenius decorus adolescens, cui Bolenia ad suauitatem oris, ut ad stuprum pelliceret, mollius eblãdita ferebatur. Sed in his cruentis admodum iudicijs nihil acerbius, atque miserius fuit, quàm Thomam Bolenium Reginæ patrem inter damnantes collegas iudices consedisse, & clarissimos Vuestenij parẽtes insontis, & solius formæ pœnas dantis filij salutem uel exilio perenni, & toto fortunarum cumulo impetrare nequiuisse. Biduo pòst Hẽricus celebratis nouis nuptijs, Semeram in coniugalem thorũ duxit. hęc demum uisa est cęteris aliquanto felicior, quòd enixa puerũ, cui Edouardo nomen fuit, nondũ alteram experta fortunam, in partu doloribus extincta decesserit. Nec multo pòst per molesta utiq; cœlibatu Anna Gulielmi Cleuẽsis Reguli soror, è Sicambris ad quartas nuptias in Britanniam accitur. Ea insigni apparatu excepta, aliquandiu Reginæ nomen, & maritalis accubitus stata forma & morum simplicitate sustentauit, sed demum quòd ad genium minimè responderet, cubili primo exclusa, & mox repudiata, quòd Lutheranæ religioni fauere crederetur, & paulò antè Antonij Lothoringiæ Reguli filio penè promissa diceretur, Catharinę Hauardæ Regium thorum reliquit. Hæc Thomæ Hauardi Northfolchiæ Reguli ex Edemundo fratre neptis erat, penes quem cõmunicata cum Surreio patre gloria, uictorię Scoticę decus fuisse docuimus, quũ à nobis ea bella in historijs scriberentur: mansit tamen Annę molliter ablegatæ regius propè honos, quòd iniuriã nequaquã astuta dissimulatione, sed multa æquitate, remissioneq; animi pertulisset. Nec multo pòst, & ipse Cromuel tãti modò nominis, rerũ omnium moderator, & euersor, atrocitate, atq; superbia nobilitati inuisus, urgente Hauardo diras digno, atq; malefico ingenio pœnas capite persoluit. Gratissimũ autem omnium oculis spectaculũ præbuère immensę opes domesticæ suppellectilis nefario, & festinato quæstu congestæ, quum tot spolia regijs diuitijs æquata, ex eius domo ad hastam transferrentur. In caput autem Catharinæ Hauardæ nõdum à nuptijs infelicibus exacto biennio, par supplicij calamitas incidit, abscisis scilicet carnificis manu ceruicib. quũ adulterij conuicta probrosæ libidinis pœnas dedisset, pręeuntibus in eodem supplicio duobus adulteris

Culpepro, atque Durãtio: hic enim ante Regias nuptias puellaris ætatis florem delibaſſe fatebatur, ille uerò uti decorus iuuenis amore pellectus in ſpem prolis, nocturnos ſeneſcentis Regis labores adiuuarat. Cæterùm Henricus Hauardæ adulterio probè uindicato, fallaciũ uirginum fidem, atqꝫ libidinem deteſtatus, ad ſextas nuptias deſcendit, ducta in Regium thorum Catharina Thomæ Parij equitis filia, quæ duobus orbata maritis ab oris uenuſtate mire placuerat. Huic autem Dij dent caſtum animum, & certam fœcunditatem, ne Rex fœda coactus ſorte, ad ſeptimas nuptias rapiatur: Henrici enim occulto, ac admirabili Fato datum uideri poteſt, eos fermè omnes quos arcta affinitate, familiaritateqꝫ dilexerit, uti peſtifero quodam amicitiæ ueneno afflatos, ex inſtabili felicitate longè omnium euaſiſſe miſerrimos. Sed dij immortales alioqui peccata hominum arcana uindictæ ratione puniri ſoliti, ut uehementer optauerim Henrico Regi antiquo ſpectatæ uirtutis merito mentem ſanauerint, ſcilicet, ut recenti flagitio euerſa templa, dum ad animum recurrit, priſtina pietate reſtituat. Quanquam enim tot nuptias, quibus nullum adhuc finem uidemus, impotenti libidine repetitas, clariſsimorum, ac innocentiſsimorum uirorum ſanguine defœdarit, omnia tamen ei feliciter euentura crediderim; ſi ſaluberrimum uolumen à Reginaldo Polo Cardinale propinquo ſuo, ad ſe piè, amantiſsiméque perſcriptum, pari pietate, æquitateqꝫ animi opportunæ medicinæ inſtar hauſerit: ſic enim quanuis hac ipſa Deorum clementia, neque uita inſontibus erepta reddi, neque ipſe inter felices Reges tanquam planè fortunatus referri poſsit, planè tamen fiet, ut leniat inuidiam, & priſtinum decus magna ex parte recuperet, tactusqꝫ religione, omnem inuſtæ notæ memoriam Henrici Secundi gentilis ſui exemplum ſecutus, aboleat.

F I N I S.

INDEX.

NOVA, ET ANTIQVA LOCOrum nomina in Anglia.

Britannia, olim Albania, ſiue Albion, nunc Anglia, Angliterra, England.
Bathonia ciuitas, olim Aquæ calidæ, nunc Bathe.
Belgæ, ubi nunc Vuelliæ, Vuellis.
Brannogenium, Bangarium, Bangar, ciuitas in Vuallia.
Bolerium promontorium, S. Burien, Cornubiæ oppidum.
Buleum, Bilthcum oppidum in Vuallia.
Cambria, nunc Vuallia, Vuallis, ubi olim Cornaulij, Demetæ, & Silures.
Camelodonum, Duncaſtrum, ad Dunij fluminis ripam.
Camudolanum, Trinopantum ciuitas olim; ubi nunc Northantonum.
Calatum, Chiptonum, in Lancaſtria,
Caturactonium, Alertonium, in Northlandia.
Cantium, ubi nunc Cantuaria metropolis, Canturbery, olim Dauernum, ſiue Dorouernia.
Cornubia, Cornuuallia, ſiue Cornugallia, Cornuayle.
Couennos, Shepei, inſula in Cantio.
Damnones, nunc Deuonia comitatus, Deuonſhyre.
Durotriges, Dorceſtenſes, ubi Dorceſtria oppidũ, Dorcetter.
Eboracum metropolis, Yorke.
Ganganorum promontoriam, ubi nũc Kilgatenũ, & Caerdiganum, Vuallia oppida.
Herculeum promontorium, Hertland.
Habus fluuius, nunc Humbrus.
Iſaca fluuius, Exa, ubi nunc Exonia ciuitas, Excetter.

Iſcalis

Ischalis, Ilchestria, Ilcestre.
Iceni, Iccij portus accolæ in Gallia, ubi nunc Caletium, siue Caletus, Calais.
Igeni, Northumbri.
Londinum, siue Londinium, ciuitas supra Tamesim fluuium, nunc Londra, London.
Lindum, Lincolnia, Lincoln.
Magnus portus, Portismouth.
Maridunum, Caermardinum in Vuallia, Caermardine.
Mediolanium, Manchestrium, Manchester.
Mona insula, olim Druidum sedes, nunc Mana, siue Man.
Niomagus ubi nunc Bokyngamia.
Nouus portus, nunc Rhie.
Ordouicum, Nordouicum ciuitas, Norloyche.
Oxonium gymnasium, Oxfort, olim Caleua.
Ocelum promontorium, ubi nunc Hulla portus.
Ocrinum promontorium, nunc S. Michaelis.
Petuaria, ubi nunc Beuerlacum, Beuerlay.
Rutupie, nunc Roffa ciuitas in Cantio, Rochestre.
Rigodunum, ubi nunc Vuarigtonum oppidum.
Ratostathibios fluuius nunc Sabrina, Seuern.
Rate, ubi nunc Conuentria.
Sarisburia ciuitas, Salisbury, ubi olim Dunium.
Salopia, Shrouisbury, olim Corminium.
Tamesis fluuius siue Thamisia, Temmys.
Toliapis, Teno, Tanetos, Tenet in Cantio nunc peninsula, olim insula.
Trinobantes, ubi nunc Northamtonenses.
Tueda fluuius Angliam a Scotia diuidens: olim Vedra.
Tubius fluuius, Toue in Vuallia.
Tamara, nunc Tanerstock oppidum in Cornubia.
Vectis insula, siue Vecta, nunc Vuygth.
Vintonia ciuitas, Vuinchestre, olim Venta.
Viroconium, nunc Virgonia, Vorcester.
Veuis fluuius in Vuallia, olim Antona.
Vrolanium, ubi nunc Rotelandia comitatus.

FINIS.

SCOTIA.



SCOTIAM ab reliqua omni Britannia, quæ Anglia dicitur, Tuedo amne, Cheuiotáque monte, & diuersis duobus æstuarijs, regni nomen obtinuisse docuimus. Ea ad Septentrionis ad Orchadas uergit, triploq; Anglia minor existimatur, quod aduersis utrinque pressa, extenuataq; littoribus enormi, & ualde oblonga ceruice in Orientem promineat, uti ex Ptolomæi tabulis apparet: quanquam Tacitus Britanniā bipennis formæ persimilē tradat, atq; ideo Scotia nihil ad Orientem solem incuruata flexu littorum extendi uideatur, sicuti eam Germanos pictores Taciti authoritatem secutos, in Ptolomæi libris expressisse conspicimus. Accepit autem nomen ab externæ, nec admodum antiquę gentis aduentu: nemo enim è Latinis authoribus Scotorū meminit ante Marcellinum, qui Iuliano Cęsari æqualis fuit. Neq; satis constat è qua primum regione Scoti in Albionem traiecerint, quum uariantibus non Anglorum modo, uerùm & Scotorum annalibus, magna dubijs rebus obscuritas inducatur: nam alij ex Hybernia, nonnulli ex Dania, Cimbricæ Chersonesi, uel Gothiæ, Noruegiæq; peninsulis originē suam deducunt. Nec defuêre, qui ex Hispania classibus aduectos existimarent, & impudenter Scotiæ stirpis nomen à Mose ipso, ac Aegyptijs ementirentur, idq; authore uiro Scoto, Hectore Boethio, qui insigni facundia & pari diligentia, perpetuam Scotorum regum historiam ad Iacobum eius nominis tertium deduxit. Sed ab eorum opinione, qui eos ex Hybernia aduectos arbitrantur, minimè discesserim. Numerant autē Scoti ex incorrupta annalium memoria, ab hinc mille amplius, & septingētis annis, centum & quinq; reges, à Fergusio primo, ad Iacobum quintum, qui hodie iuuenis adhuc iam per uiginti & septē annos nullis unquā externis, aut intestinis

bellis implicitus tranquilla, & maxima diuturna pace perfruitur. Is à toto ualidi corporis habitu, & facie hylari, decora, ac ipſis tuendæ pacis artibus ſpem nequaquam incertam bellicæ laudis præferet, oſtendetq́ſe inde clariſsimis factis ad laudem, niſi fata conceptæ uirtuti felicem curſum inuiderint. In his tot ſeculis admirabile dictu eſt, quantum ambitio, regniq́ cupiditas, ſecunda paucis, pluribus autem aduerſa, exitioſaq́ ualuerit: tres enim & quinquaginta reges, aut bellica ui, aut procerum inſidijs crudeliter interempti referuntur. Exercuêre ſiquidem ab initio Romana arma, Pictos ſubegêre, ſuſtinuêre demum Danorum impetus, ac omni ferè tempore, quum à ciuilibus bellis otium eſſet, cum Anglis de finibus contendêre, tanta animorum contumacia, ut quum ſuperbia, atque odio nulla calamitate frangerentur, aduerſis contuſi prælijs, Edouardo Anglorum regi ſacramentum dicere, & tributa pendere cogerentur. Cæterùm rex Donaldus, à Ferguſio Scotorum rege primo, ſi interiectos enumeremus, ordine uigeſimus ſeptimus, quum diu & uaria quidem Fortuna cum Seuero Cæſare dimicaſſet, primis è Scotis regibus Chriſtianæ religionis ſacra ſuſcepit, primusq́ in Scotia, quũ uenalia in humanos uſus aliarũ rerum permutationibus, aut aliunde importata pecunia, in foro & nundinis emerentur, aurum & argentum, Scotica nota percuſsit. Sed præclarum Chriſtianæ pietatis ſpecimẽ ſupra cæteros præbuêre Vilhelmus, qui Ricardo regi Angliæ in Syriam ad expugnandam Ptolemaidem proficiſcenti, Dauidem germanum fratrem cum lectiſsimis Scotorum copijs adiunxit, & Alexander eius nominis Secundus, à quo maximè pio, & liberali ſtudio Ludouicum Galliæ regem eximijs ducibus, ualidisq́ Scotorum cohortibus adiutum ferunt, quum ille regum optimus, atque ſanctiſsimus ſacro etiam tum ardẽte bello, in Aegyptum ad Damiatam tranſmarinam expeditionem religioſo admodum incœpto, ſed aduerſo exitu ſuſcepiſſet. Sed poſt multa ex inteſtinis cædibus interregna, atrocesq́ multorum tyrannorum interitus, ad Stuardam domum nutantis imperij nomẽ deuenit, ea tum planè illuſtris à præalta origine Danicam progeniem reſpiciebat: facilè enim ad regium faſtigium repente euadentibus uanitate quadam peregrinæ ſtirpis honos exquiritur, utpote quibus patriæ nobilitas, uti nullis innixa fabulis obſoleſcat: Stuardum enim eorum lingua ſeneſcalcum, id eſt, Regij conuiuij magiſtrum uocant, quem honorem eximiæ dignitatis apud Neapolitanos Reges, à nobiliſsimis procerũ expeti uidemus: hoc enim præclaro officij munere rex Macolmus animi uirtute memorabilis, Valterium generoſum pariter atque impigrum ducem, oriundum à Dania, uirtutis cauſa perornarat, quòd Valterius in Syria aduerſus Saladinũ inſigni cum laude Chriſtianis ducibus operam nauaſſet, ita ut eius dignitatis nomen, quod à poſteris per manus exciperetur, in familiam adoptatum facilè permanſerit. Fuêre autem è Stuarda familia tres Roberti reges continua ſerie ad Iacobum primum, qui Roberto genitus id nomen primus ſuſcepit, tradiditq́ perpetua ſucceſsione Aegyptiorum regum more, quatuor ab ipſo regibus, quibus id omnino fatale, & prorſus infelix extitiſſe uidetur: Iacobus enim primus à coniuratis in cubiculo confoſſus interijt. At ſecundus ipſius filius diffracto uiolentia ignis tormento, metalli fruſtulis eſt diſcerptus. Porrò tertius oppugnante parricida filio iuſta acie ſuperatus, ad Sterlingum occubuit. Quartum autem primi recta ſerie pronepotẽ, ingenti prælio ad Floddon ſuperatum Surreius interfecit, quum Hauardus ipſius filius, qui hodie Henrici regis penè

ſocer

socer est, imperatori patri in prima acie felicem operam nauãdo uictoriam maturasset: impulsu etenim Ludouici Galliæ Regis, quum ab Henrico in Morinis, ingentibus Anglorum & Germanorum copijs premeretur, Iacobus Angliam inuaserat Rege destitutam, roboréque omni ueterum militum incontinentem abducto, in tutela Reginæ, Surreiq; relictam. Scoti siquidem Reges mutuo commodo Gallorum regum amicitia obnixè colunt, repetitã usq; à Carolo Magno, cui Achaius rex amicissimus fuit: confirmataq; demum certis fœderibus à Dauide rege, qui ab Anglis bello captus, eo tẽpore, quo Ioannes rex Galliæ ductus in triumphum Londini aderat, raram Edouardi felicitatem opportunè cumulauit, quum in eius mẽsa insigni fortunę ludibrio captiui duo reges spectarentur. Peruetusta itaq; consuetudine, quum Angli Scotiæ fines inuadunt, insigniq; apparatu arma mouent, Scoti statim Gallorũ opibus confirmantur, pecuniaq; in primis egregiè, ac item tormentis, armis, copijs, peritisq; præsertim belli ducibus adiuuantur. Parem autẽ beneficij gratiam Scoti promptissimè referendam existimant, quum in continentem Anglorum copiæ traijciunt: in Anglicos enim fines penetrant, tumultuq; hostili in Northumbria cuncta permiscent, ut domestico belli metu, Anglorũ aduersus Gallos apparatus, atq; impetus retardentur: unde illud non infacetè dictum Ludouici undecimi Galliæ regis, qui conceptæ insaniæ opinionem admirabili sæpe prudentia opportunè, atq; feliciter eleuauit. Quum enim Edouardus infesto animo in Galliam esset traiecturus, sociorumq; legati à Ludouico amicè, soliciteq; requirerent, ut oppida ad Samorabrinam amnem, uti hosti exposita, diligẽtius permuniret, ad ueteres munitiones se uallum probè ualidũ, atq; densissimum adiecisse respondit: mussantibus porrò legatis, qui nihil tale factum, aut cogitatum quidem nouerant, atq; itidẽ, ut publicę saluti prospiceret, suadebant, quòd negligentia eorum, qui extruẽdo operi munus suscepissent, nihil omnino esse additum, subridẽs, cõtendite, inquit, in Scotiam, si aggeres meos uidere concupitis: quòd intelligi uellet Anglos si à fronte in aliena terra bellum quærerẽt, domi protinus, qui terga cęderet, à Galliaq; retraheret proprium & uerum hostẽ habituros. Datur autem honoris causa ob eximiam fidem Scotis militibus, ut eis Galliæ reges corporis custodiam, salutemq; suam committãt, ut hinc quoque pernobili spectatę constantiæ argumento opportunas arces uti Mediolani uidimus, Scotici præsidij tutelæ demãdatas minimè miremur. Alunt & Galliæ reges Scotorum alas, earumq; præfectos in honore habent, uti nuper Eberardum Obigninũ à nobis in Historijs alterna ludẽtis Fortunæ cum laude posteris narratum, atq; item Ioannẽ Stuardum Albaniæ regulũ, qui uirtutis eximiæ testimoniũ, dum Gallis militaret, in Italia reliquit: Robertum quoq; cùm sua tum Eberardi patrui uirtute, bello illustrẽ, inter Gallorum duces ætatis authoritate facilè primum, militię incommoda egregiè adhuc ferre audimus. Scotiæ regibus eadem sunt iura, ac imperia in sacerdotes, proceres, & minorũ gentium classes, quæ apud Anglos uigere meminimus: utrisque enim est eadem, ferè lingua, nec leges omnino dissimiles, quanquam Angli municipales, Scoti autem ciuiles magis respiciunt. Paria quoque exiguntur uectigalia, atque una omnino cogendi, alendiq; exercitus consuetudo: sed Angli reges pecuniam, Scoti uerò militem imperant: uerùm in conscribendo eadem delectus cura seruetur. Scoti quoq; hisdem utuntur armis, sed sagittarũ usus crebrior apud Anglos, quòd nuper tradentibus Gallis sclopetto uti didicerint: raros autem

equites, sed eos eximiæ uirtutis in eorum acie conspexeris. Desilire enim ab equis, æquare uitæ pericula, & cõmunicare spem laudis, uel ipsi etiam reges solent, recentissimo Iacobi Quarti exemplo, qui pedes pugnando aduersis vulneribus confossus occubuit. Pugnacissimi autem milites existimantur è Laudonia quæ pictlandia dicitur, antiqua scilicet Pictorum sedes, Augusiaq; item, & Fifa, quòd eæ regiones Anglis æternis hostibus maximè sint propinquæ. Suspecta enim utrinque arma ipsos finiũ custodes plurimum exercent, uti nunquam inter eos firma pace, dubijsq; semper inducijs, & ad mutuas insidias concitante odio, quòd nulla regum amicitia, uel cognatione, aut fœderũ tabulis, minimè restingui posse persuasum habent. Armatura porrò uesteq;, & reliquo cultu Gallos imitantur, quorum amicitiam mutuis commercijs colunt: epularum autem copia, edacitateq; nostris hominibus penè incredibili Anglos antecedunt; uerùm nequaquam erudito gulæ studio porrecta in integras noctes conuiuia exercent. Sed certè frigidior cœli plaga uoracitatem excusaret, nisi uaria saporum irritamenta, supra satietatem inexplebili quadã ingluuie peterentur. Quamobrem necesse est, ut fœminæ continuis redundantiæ uitijs confectæ, amisso flore illo ualde præcipiti puellaris ætatulæ, aniles statim, atq; insuaues induant vultus, & firmissimorum etiam uirorum robora citissimè dissoluantur. Hoc etiam immoderato conuictus sumptu, plerique deuoratis patrimonijs ad tantam rei familiaris inopiam rediguntur, ut ab obuijs stipem emendicare nõ pudeat, quòd agrum colere, aut sellulariam exercere artem, honesto loco natis indecorum arbitrentur, usque adeò, ut plerique latrocinijs, & furtis sese alere, nullò pœnæ metu æquissimum putent. Sed eam gulæ intemperantiã plurimum adauget obsoniorum immensa fertilitas. Nulla enim toto orbe regio, uel altilium, omnisq; generis uolucrũ, & ferarum, quæ aucupijs atque uenatione parantur, ubertate copiosior: nulla fluminib. æstuarijs lacubus, & toto deniq; Oceani littore piscosior: nulla maioris, minorisq; pecoris carnibus abundantior, quæ adeò delicatæ sunt, ut ferinis præferantur, & plures bubulæ summam saporis dignitatem attribuant: & hæc etiam adeò uili pretio constat, ut obesi singuli boues, suæ tamen tergore, singulis sæpe aureis coemãtur. Tanta autem ubiq; uenatio sese offert, ut uel recta & quotidiana conuiuia tripartitis cœli ac terræ, marisq; ferculis onerentur. Maximè etenim aucupijs, atque uenationibus student: nec his eximiæ sagacitatis & roboris canes desunt. Reperiuntur enim ualde proceri, ferocesq;, qui herum uel contra armatos hostes egregiè tuẽtur, quũ admirabili ingenio fideq; depugnent. His etiam innata uis est humanæ propè solertiæ, ut sicariorũ maleficorumq; hominũ uestigia sectari, eosq; latebris ad pœnã eruere soleant. neq; ulli uel regulo fas est, quæritantib. fores obijcere, ut noxius ad alienam iniuriã abscõdatur. Allatrant enim, ianuãq; unguibus pulsant, & tanquam magistratum apparitores, iustitiæ nomine sibi uel interiora cubicula pandi iubent. Iura enim solidæ pacis Rex iuuenis egregiè tuetur, Anglorum & Gallorum affinitate, ac amicitia stabilitus. Quum Henricus Angliæ rex sorore genitum territis semper Scotorum regulis, qui ad imperium aspirarent, constantissimè foueret: atq; quum postea Franciscus rex Galliæ tradita in matrimonium Magdalena filia sibi generum asciuerit. Vniuersæ porrò Scotiæ regiones, atq; urbes, lacus, flumina, & portus singillatim enumerasse ipsius Boethi muneris fuit, qui curiositate, & diligentia amoris patriæ dignissima, nihil intactũ & sine laude uel in aspretis atq; paludib. reliquit.

Nos

Nos pro instituto nobiliora tātùm attingimus. In Laudonia urbs est Edinburgus Scotorum regia, senatusq; sedes, cincta mœnibus & arce, quæ ab asseruatis sibi puellis nomē ducit, ualde insignis. Alluitur autē Forthea amne, excipitq; ab eiusdem nominis æstuario nauigia ab Orientali Oceano in frequentissimum portum uix mille passibus ab urbe distātem, ubi Hæmonia est insula, hodie Columba dicta, ultra Fortheam, in cuius ostio cōspicitur castellū Dunbar. Fifa Regio occurrit, insignis sancti Andreæ urbe, sacrorum primatu, & gymnasij authoritate, portuq; clarissima, cui hodie præest Dauid Betonius purpurei galeri dignitate, uitæ splendore ac ingenij grauitate illustris. In latere autem lacus est, copia, capturaq; piscium celebratur. Nam in Scotia multæ ingentes, & piscosissimę quidem paludes numerantur, quarum maximæ sunt Laomunda, sub Grampio monte in Oceanum decurrens, & Fineia in Argadia regione, insulis, arcibus, & frequentibus ædificijs memorabiles. E' Fineia in proximum agrum enatasse memorant prægrandem belluam, Molosso, Phocæ persimilem, quæ cum obuijs fortè uenatoribus ingenti detortæ caudæ ictu crura perfregisset, prodigio locum fecit, quoniam nō multò post Iacobus Quartus cum multo maxima nobilitatis parte ab Anglis acie cæsus, insignem Scotiæ luctum attulerit. Ad Fifam Angusia, dicta olim Horestia sequitur, Thao amne longè omniū totius Scotiæ maximè celebris, cuius, seruato adhuc prisco nomine, Tacitus meminit: oritur ex monte Grampio Iulij Agricolæ uictoria nobilitato: is hodie Grāzebenus appellatur, id est eorū lingua incuruus, & asper. Defertur autem Thaus in ęstuarium ubi urbs olim Alectum, à Rege demum Dauide religionis causa Deidonum appellata. Introrsus uisitur Perthum in eiusdē Thai, multis iam torrentibus adaucti ripa ædificatum, quod à tēplo diui Ioannis nouum postea nomen quęsiuit. Nec à Pertho multum distat Scona oppidum, antiquis cerimonijs celebratum, quum solenni admodum pōpa Scoti Reges ibi coronentur. Hæc in Noruegiam spectant. Succedit autem Marria, quæ ad extremam insulæ partem extenditur, una prorsus Aberdonia urbe memorabilis, quæ inter Donam, & Deam fluuios sita propter Gymnasium optimarum artium, portumq; summæ opportunitatis multarum gentium concursu frequentatur. Nec in ultima parte laudis posuerim, quòd Boethiū, quem suprà citauimus, Scoticarum rerum scriptorem aluerit. Inde ultima Scotiæ littora cuneantur, efficiuntq; promontorium Dounesbium, Ptolemæo Taruendunū, quod Deucalionico immēso mari obijcitur. Ab eo in Septētrionem, & mox horrido, & maximè scopuloso littoris tractu, insulę extrema reflectūtur: ab occasu autē, austroq; pariter occurrunt Cathanesia siluestris gentis: itemq; Rossia, & Morauia, Lornaq; generosi ordei maximè ferax: ubi promontoriū Creāter, olim Ptolemæo Nouantium, quod lōgissimè prominet in Aquilonē, efficitq; ingentem sinum adeò castigatis introrsus terris, ut diuersa duo maria, non maiore quàm uiginti miliarium spacio dirimātur. Inde amnis Cluda, à Tacito Glota nominatus, uasto ęstuario in Hybernicum sinum decurrit ad Dounbreton portum, & Emporiū: in id enim Cantabri, & Aquitani, ipsiq; præsertim Hyberni breuissimo sinu superato cursum dirigunt. In ripa Cludæ duodecim millibus passuum recedens à mari sita est Glasquensis ciuitas, Archiepiscopatu, & Gymnasio celebris, opulentaq; item profluētis cōmoditate, quum à Dumbreto totū id spacium commeantibus nauiculis frequentetur. In eius agro aurifodinam inuenit Iacob. Quartus, in qua & ille ex auraria gleba Cyaneus puluis erucbatur, quē

Azurium uocamus, emuntq; pictores uel mediocre ęquato auri pretio, ut in ta bulis iucundissimum, nec facilè interiturū sereni cœli colorem efficiant: sed ea sectura demum exoleuit, quum Rege uita functo, Quintus hic qui regnat, è fa scijs hęreditatem consecutus, nutriciorum incuria utilissimi operis cogitatio nem abiecerit. Sequūtur & ordine in austrū uerso Nithdalia, in qua Dumfreus portus lanarum in eo tractu præstantia celebratus, quarum tenuissimis uelle ribus chirothecæ cōficiuntur magnorum Antistitum, inter sacrorum cerimo nias manibus dicatæ, expetitæq; plurimum à deliciatis mulieribus, ut digiti ea rum ab hyemis iniuria muniātur. Id lanarum genus mirè coccum ebibit, & flo rentē ad tineas usque ultimas cōseruat. In tergo Nithdaliæ Cumbria patescit, propter gentis nobilitatem Vuallíæ Anglicæ facilè æquata: quoniam nemo Cumbris imperat, nisi legitimæ hæreditatis prærogatiua imperio destinatus. Inde succedit Anandia, & mox Gallouidia, Brigantibus quondam possessa re gio. In ea est paucis admodum stadijs remota à mari urbs Candida, Casa no mine uocata, insignis Episcopatu opulento, & frequentia peregrinātium, qui religionis causa ad diui Niniani templum miraculis illustre confluunt. Intror sus non longè ab Edingburgo, quod diximus, uisuntur & duæ urbes frequen tatæ Regibus, Hadintonia, & Sterlingum. Terra autem Scotica in uniuersum, ubertate, culturaq; Anglicæ facilè cedit: est enim pluribus in locis obsita saxis, arboribus, glabra, passimq; obsessa palustribus aquis, adeò, ut supra id, quòd ferendis uitibus, atque oleis est infelix, in ea etiam triticum in siliginem citò de generat: sed eam uini atq; olei inopiam natura uarijs metallorum dotibus com pensauit: quandoquidē in uberrimos prouentus, si Reges liberali sumptu cer tam spem fodientium sustentent, magna uis eruatur argenti & orichalci, albiq; plumbi & ferri. Reperitur & Gagates lapis, si bibatur cum aqua tritus ad de prehendendam puellarum uirginitatem mirificus (meiere enim uitiatas statim cogit) certisq; in uadis margaritas magnitudine insigni, sed quæ rufescāt, gib bosæq; sint. Omnium rerum pater Oceanus abundè suppeditat. Cōchæ enim, dum è profundo in summum tranquilli maris æquor sese attollunt, ut ore patu lo cœlestem rorem excipiant, exquisita arte, magnoq; silentio ab urinantibus capiuntur. Eijcit & Oceanus in Scotica littora Succinū ab antiquis electrum a lio nomine dictum, quod nos hodie Ambram uocamus: est id subflauum & odoratum gummi genus omnino duplex, alterum igneo nitore translucidum, alterum pinguius, & in melleum colorem deflectens. Ex hoc fiunt corollæ, mo niliaq; dicata ceruicib. puellarū, quòd tonsillis, ac anginis medeātur. Ex illo au tem uarias imagines scultura exprimi uidemus, quæ illigatę auro, emblematis, & bullæ nomine, torques, & militares pileos exornant: id uerò ex spuma, sor dicieq; maris, uel ut plures produnt, ex peregrinarum arborū lachrymis, exci piente, cogenteq; eas Oceano: durari credibile est in Glessarijs Germanici ma ris insulis, quæ à Succino glessum earum gentium lingua uocato, nomen tule rint. Eius autem ingētem massam in littore Scotico à pastoribus repertam Bo ethius scribit, quæ inscitia, agrestiq; libidine perfracta, & temerè cremata in o dorem priusquā à peritis nosceretur, magna ex parte perierit, quum ex ea, ut credi par est, immensi pretij potoria uasa fieri potuissent. Fert & non uno in loco mirabilem glebam in coquinarios usus opportunam, quæ succensa, & candens ligni modo ardet, & cuncta cōmodissimè percoquit, hybernaq; cœ nacula uapore complet, ab nullo nidore fumi algentibus periucūdo. Cæterùm

Caledo-

Caledonia Sylua antiquis nota ſcriptoribus, quæ hodie Callendar appellatur, uaſta ſui magnitudine è mediterraneis ad maritima uarijs anfractib. ſe extendit. In ea inuſitati generis feras, & uolucres eſſe tradunt, equos ſcilicet agreſtes, & indomitos, atque item tauros ſummæ feritatis leonum ſimilitudine iubatos, Biſontibus, quos Sarmatia gignit, populusq́ Romanus aliquando in arena ſpectauit, toruitate aſpectus nõ omnino diſsimiles. Ii ueſtigia hominum inſidiarum metu aſtutis ſenſibus deuitant, attrectatáſque fortè hominis manu frondes quum olfecerint, repentè profugiunt, nec capti laberynthis, & foueis ulla omnino pabuli copia placantur: ſeruitutis enim contumeliam non diu ferunt, in eaq́ mœſtitia, contumacia ſpiritu efflato, citiſsimè moriuntur: tanta autem iracũdia, & robore uenatores inuadunt, ut eos nonnunquã transfoſſos cornibus, euibratosq́ in ſublime crudeliter interimant, ſubijſſeq́ id uitæ diſcrimen Robertum Regem cognomento Bruſsium annales memorant, quum pro ſalute Regis quidã è comitatu eius longè prõptiſsimus irruentis feræ impetum obiecto corpore ad non dubiam mortẽ excepiſſet. Scatent & nemora nigris Pauonib. qui puniceo ſupercilio, & leporinis ferè pedibus anſeris magnitudinem implent, triplicíq́ pulparũ ſerie ſapidiſsimi exiſtimantur. Occurrunt & Buſtardæ olorum amplitudine, quas Plinius, aues tardas uocauit. Celebrantur & Solandæ aues, aquilæ marinæ perſimiles, quæ adeò feliciter piſcãtur, ut quum è profundo optimos quoſque piſces miro delectu roſtris corripiant, ad nidosq́ pullorum deportent, magnam prædæ partem hominibus, id cum uoluptate ſpectantibus, benignè largiantur: ſuppeditentq́ item ligna coquendis piſcibus, quum nidos è uirgultis, & ſurculis, ciconiarum more, in præaltis cautibus conſtituant. Viſuntur & Caſtores Fibris Põticis pares: itemq́ nobiliores Martæ, id felium & Viuerrarũ eſt genus, quorum animaliũ pellibus, mollicie, leuoreq́ præſtantibus, Principum ueſtes fulciuntur. Fuère & qui crederent quarundam arborum folia, quũ in mare deciderent, occulta quadã Oceani poteſtate, in anates aues cõuerti: ſed ea miracula regionis euulgata in remotas gẽtes, aut falſa omnino, aut certè minora uero uel curioſus, & indefeſſus uiator inueniet, quòd alij atque alij populi ad ulteriores ſemper admirabilium rerum famam facilè tranſmittant, adeò ut irrita ſpe talia quærentium, quum extremæ terræ itinera pariter, uotaq́ hominum finiant, & eludant, in longinquas, & ab orbe noſtro penitus diuiſas inſulas, nuſquam uiſa, nec orta, narrantium fide audita miracula referantur.

HYBERNIA.



YBERNIAE figuram, quòd enormi, & lunato undique littore quatuor uentorum cardines totidem promontorijs aſpiciat: querno folio ſi eius cuſpidẽ, & à pediculo ſimiliter imam partem modicè abſcindas perſimilem uideri uolunt, qui eam in tabulis effigiant. Longiſsima autem diametro per obliquũ protenditur à Notio Mamonię, quod in Cantabriam uergit ad extremum Holtonię caput, Iſmenium antiquis dictum, quo terræ ultimæ immenſo ad Arcturũ Oceano terminantur, aſperis obſita montibus, & inculta campis: nec dimidiam quidem Britanniæ partem æquare exiſtimatur, quum ei par ſit uel ubertate agri, uel

pecoris fœcunditate: & quod Angli facilè cōcedunt, tepore soli, cœli clementia, atq; aeris serenitate nobilior. Verùm inculta gens, ignara luxus, & peregrinis illecebris incorrupta, aratrū magnopere fastidit, ligonē recusat, sudoremq; omnem præter bellicum refugit, quo uno nihil ferè, præter decus, quærendum existimat. Contenti siquidē pecore, lacte, caseo, & fauis, pisce itē, aucupio uenationeq; dona Cereris, & Bacchi, Principum suorum illata mensis non inuident: quum uulgo placentas ex Olira, & Birram in poculis præferāt, & multo legumine largiter epulentur. Quin & eodem contumacis animi decreto metalliferis montibus parcunt, nec aurum, argentúmue secturis, & fodinis Anglorum studio, & multo labore inde erutum asportari patiuntur, uti rem uitæ, ac moribus maximè pestilētem. Hyberni diuisi in multas regiones, inter quas Holtonia, Laginia, Connatia, atque Momonia maximè sunt insignes, ex æquo suis Regulis parent, neque unquam passi sunt, ut summa imperij ad unius arbitrium, ueluti sublata libertate, recideret. Vsqueadeò in feris hominibus ingenium uiget, ut iustitiæ nomine plurimum gaudeat: idq; unum maximè curant, ne quis multo maximis uiribus abundet, indéque, uti plerunque fit, intolerandus, & impotens, cæteris subactis, insulæ regnum arripiat. Verùm ingenti authoritate, bellicis operibus, & antiqua pariter nobilitate cæteros antecellit CONNATIVS Honel Holtoniæ Princeps. Is continenter bella gerit, modò cum finitimis Anglis, modò cum Regulis, qui undique Holtanicos fines amplectuntur. Duæ siquidem maritimæ regiones in Laginia, Midiam & Fingalliam eas uocant, Angliæ Regum imperio, & præsidijs tenentur. Ab his breuissimus est in Angliam traiectus, intercedēte Mona insula, in quam, authore Tacito, repertis humilibus uadis, captatoq; æstu reciprocantis Oceani, miraculo quodam Romanæ legiones transnatarunt. Ea uetustum adhuc, immutata litera nomen retinet, ita ut à Mona Hyberniam inuadere in spem triumphi ambitiosè cogitarint, putarintq; Iulius Agricola legione una, & modicis auxilijs subigi ac in pace contineri facilè posse. In media Anglicæ ditionis Dubliniū è Mona conspicitur, amplissima omnium ciuitas, Lipheo amne, Obocco olim dicto, qui portum efficit, atq; item frequenti emporio pernobilis. Anglorum enim commercijs maximè creuit: & fuit aliquādo tempus, quo Angli magnis exercitibus Insulam peruagati: ad totius Hyberniæ principatum aspirarēt. Sed Hyberni qui diu intestino occupati bello graues insaniæ pœnas dederāt, quū periculo admoniti ad publicæ salutis consiliū redijssent, coniunctis uiribus ita Anglorū opes, atq; animos contulerunt, ut ne illis exigua pars Insulæ, & ea quidem liberali quadā pactione relinqueretur. Armauit enim Hybernia Anglico tumultu supra quadraginta millia peditum & equitū. Ipse nuper Cōnatius Honel ex prouincialib. suis exquisito etiā delectu quatuor millia equitū, & triplo maiorem peditum numerū in aciē eduxit. Sed demū Thomæ Hauardi Scotica uictoria clarissimi industria, & donis in amicitiam traductus, cum Hērico rege pacem colit. Regia Honelis Armacana dicitur, quę præcipua sacrorum authoritate totius Hyberniæ primatum obtinet: sed nullis cingitur mœnib. sicuti & cætera Holtoniæ castella nudata muris patent, quum ditionem aduersus hostes expedita manu, campestriq; acie defendere, quàm munitione, atq; præsidijs tueri nobilius ducat. Vicatim habitant, & in deligendis sedibus opportunitates paludū, & mōtium sequuntur. Connatius, uti bellicosum ac intētum decet, pagos deuitans, in statiuis castris ac hybernis uitam traducit, umbraculis

fronde

fronde protectis tentorijsq; ex pellibus, & linteis militari more imbres arcet: uentos solesq; cotẽnit: nullum ei antiquo gentis more capiti tegumentum praeter galeã. Horrido enim & circumtonso ad aures capillo recisaq; sępe barba, & labrǫ superiore intortis setis ad terrorem hirsuto populariter incedunt, ut bello ferociores appareãt. Vnum autem cunctis ferè uestis genus, lanea chlamys, quæ ab humero ubi est læua manus exertus, circumducitur: limbo ad elegantiam uariegato iubatoq;. In ea princeps puniceũ colorem pręfert, militi cianeũ & ruffulum relinquit: idcirco nostri Hybernicam appellãt, uti inde traductam: quam trierarchis & naualibus socijs familiarem uidemus. Tunicis etiam croceis usq; ad genua conteguntur: quarum margines inductis serici coloribus acu scitissimè depingunt. Puellis mos est crines nodulis collectos ostẽtare: uelare autem matronis, quæ croceis fascijs per multas spiras conuolutis in orbem, capita Turcarum more exornant. Appellantibus festiuè arrident, & nonnunquam choreas ad Arpen ducũt. quam utroque genu contentã per æreas impares chordas argutis digitis pulsant, & modulos alludente uoce comitantur. Apud eas in uniuersum dubius est pudor, & rara admodum pudicitiæ laus, quũ in peramplis cubilibus integræ familiæ cubent, & facilè tenebris uerecundiam extinguãt. Reguli nobilesq; uxorem pariter & pellices alũt: neq; probro ducitur uxorem repudiasse, redditoq; ei mũdo muliebri, eundem nuptialem annulum cõcubinæ digitis induisse. Porrò alij Veneri licentius indulgent, neque libidinẽ inter grauia crimina Christianis uetita legibus adnumerant, quũ probitatis famam una præsertim innocentia metiãtur. Hyberni omnes uel in asperis, & syluestribus locis Christianos obseruant ritus: docẽtur ab Episcopis perido neos literarum Latinarũ, & musicæ artis magistros: qua institutione eruditioneq; optima sacerdotia promerentur. Sunt enim sacræ quatuor metropoles, Armacana Holtoniæ, Dublinensis in Laginia, Cassilensis in Momonia, & in Cõnatia Tuomẽsis, quibus Episcopales quaternæ ditiones contributæ suffragantur. Holtoniam secat omnium maximus amnis Boandus, antiquis Buuinda dictus, qui contra Scotiæ littora nõ longè ab Armacana urbe, nauigabili alueo in Oceanum defertur: abundat Salmone pisce, Aringisq; plurimum, quibus sale & fumo inueteratis mercimonij nomine Italiã repleri conspicimus. Piscantur & in eo margaritas pondere leuoreq;, si candor accederet, Indicis pares. Holtoniæ tergo hæret Connatia in Occidẽtem solem, ad Hybernicum Oceanum deuexa. Hanc ab Momonia diuidit Sineus amnis, qui hodie dimidiũ nomen seruat, alluitq; Limericum urbem XXIIII. millibus ab ostio distantem. At in Momonia insignis Suirus, cui olim Modani nomen fuit, in mare contra Cantabriam defertur, auctusq; duobus in unũ cõfluentibus fluuijs, Vaterfordiæ urbis portum tutissimæ stationis, Anglorum & Belgarum classibus præbet. Per Laginiam autem Oboccus, qui hodie Lipheus dicitur, sinuato cursu multis torrentibus præceps datus Dublinium interfluit, atq; inde ad decem millia passuũ magnarum nauium capax cõtra Monam Oceano miscetur. Verùm, uti diximus, Holtoniæ Boandus, & aquarum mole, & lõgitudine cursus, & fertilitate piscium cæteros antecellit. In eo supra Armacanam stagnum haud peramplum admirabilis naturæ celebratur, in quo si pertica ex Acrifolij planta in uado defigatur, & post aliquot mẽses reuellatur, extremam partem, quæ limo inhæserit, in ferrum conuersam, secundam uerò, quam profluentis undas continuè abluerit, in cotẽ duratã spectãtibus ostendit. Miraculo quoq;

Amnis

proximum uidetur, ex putri ligno, naufragiorumq; reliquijs, quæ illisæ littoribus, perpetuis Oceani fluctibus agitentur, concipi enasciq;, & demum euolare inde aues, quæ in usu mensarum sint, & nostris anatibus assimilentur. De oraculo autem ad diui Patricij puteũ, quo nouenis haustibus expiari animos à grauibus delictis ferunt, atq; inde concepto uaticinio ad diuinationem præparari, nihil hactenus à nobis compertũ est, nisi cuniculum illũ in abdita rupe ad extremam Insulæ orã, qua Cori flatibus exponitur, antiquorum operis excauatum, ubi puri laticis uena scaturiat, inter miracula reponamus. Nos hæc uti fabulosa curiosæ superstitioni, & peregrinantium uotis relinquemus. Hybernia certè miraculo quodam serpentibus caret, neq; ullum noxiũ animal ea terra patitur, præter lupum, cætera uti apud nos cernuntur, præter asinos, quos uel importatos haud dubiè non alit. Equi autẽ tota Hybernia tollutarij incorrupta sobole progignuntur, quos à mollissimo incessu Hobinos Angli uocant, ob idq; delicatis expetuntur, & in Gallia Italiaq; nobilioribus fœminis dono dantur. Ex hoc genere duodecim candoris eximij, purpura & argenteis phaleris exornatos in pompa summorum põtificum sessore uacuos duci uidemus: iusta proceritas illis deest, sed forma, decore, spiritu maximè præcellunt. Holtonia autem peracreis, robustos, & uigore animi prorsus intrepidos, tanquam ab bella natos producit, quibus post ordei, pabuliq; mensuram Acrifolij frondes in flamma perustas, & crepitantes in præsepibus apponunt: quo alimento sanari conuulsos; & uitalia foueri experimento didicerunt. Hos Hispaniæ Galliæq; mercatoribus permutatione, aut pecunia diuendunt. Præbent & Hyberni Martarum, & syluestrium felium pelles, quibus nobilium fulcitur uestis. Taurorum ita tergora, & lanatas ouium exuuias, & qui à uolatus pernicitate maximè probantur falcones regum aucupijs dicatos: pro his ab Hispania Galliaq; loricas, galeas, spicula, gladios referunt, atq; item uinum, oleum & crocum: sed mercaturæ quæstibus militare decus anteponunt. Lites non diu alere mos est, quum aduocatis non sit locus, & controuersiæ, aut expedito iudicio, aut armis finiantur. Soli sacerdotes Antistitum tribunalia frequentant, utpote, qui Pontificij iuris decretis pareant. In summo igitur honore sunt milites, equitesq; in primis, & secundum hos grauis armaturæ pedites, quos uti ueteranos, & bella ex bellis serentes, in castrisq; educatos ipsorũ lingua Galloglathas uocant. Inter omnes Connatius Honel equitatu pollet, & grauis armaturæ pedites unus alit. Cum ijs enim agros & fortunas omnes partitur, quum pecuniæ egens ipsis uitæ alimentis ac itẽ ueste, armis & equis stipendia persoluat. Eques lorica & galea munitur, læua lanceam Hispanicam, habenasq; simul cõprehendit, dextera ualidissimè amentata iacula contorquet. Plura enim aut contenta gladij baltheo: aut cõpressa fœmore gestare consueuit, alia pedites famuli subministrant: ita eminus iaculis rem gerit, cominus autẽ traducta celeriter è læua in dexterã lancea, atq; ea ad medium altè sublata iteratis ictibus pugnat. Binos singuli trahunt equos, alterum, quo extra aciem uehuntur, alterum autem egregium bellatorem sessore uacuum, in quem opportunè transcẽdit, quum classicum ad arma uocat, nõ clãgore tubæ, sed ingẽtis ligneæ buccinæ mugitu prælium accendunt. Tãta uerò equiti ad regendum atque incitandũ equũ agilitas, ut nutabundus & eludens miro corporis flexu hostilia tela deuitet, atque ea solo sparsa poplite ab ephippio suspensus exporrecta læua corripiat. Veterano autem pediti præter galeam & loricam, lata ex maculis ferreis fascia guttur munit.

munit.Is tum Germanica ſecure utitur, quum initio prælij iaculum emiſerit.Ex his ſtataria acie in medio conſtituta precinente utriculario tibicine,leuis armatura è cornib. procurrit:iaculis ſagittisq; res geritur, quas breuibus & ligneis arcubus emittunt. Galloglatha autẽ tanta conſtantia depugnat, ut nullo mortis metu fortiter uincẽdum, aut in ueſtigio honeſtè cadendũ putet.Interemptorum funera non planctu & lachrymis,ſed decãtatis laudibus celebrantur:præficas enim propinqui precio conducunt,quæ exequias nænijs exornant.Pertinere ſiquidem ad familiæ decus arbitrantur egregiè fato functos, non diu luxiſſe:quòd non lachrymis,ſed diuturna memoria dilectos proſequi præſtãtius ducant,tanquam eis honeſtum uitæ exitum,illudq; incomparabile bonum ſupremæ pacis inuidiſſe diſpudeat.

FINIS.

INSVLÆ HEBRIDES ET ORCHADES.



NTER Scotiam autem ac Hyberniam extrorſus in Septentrionem per Oceanum ſparguntur Hebrides Inſulæ, numero quadraginta tres, Eboniæ quibuſdam dictæ, è quibus Hyla promontorio, quod diximus Nouantio aduerſa, & poſt eam Cambra, & Mula metalliferæ, ſed exercendis fornacibus lignorum inopia damnatæ: diſtant ab Hybernia triginta paſſ. millibus. Scotico autem littori proxima eſt Hiona, quæ & Chilca hodie uocatur, intercurrente freto, ſtadiorum fermè centũ. In ea ſedes eſt Epiſcopalis Sodorenſis,cuius Antiſtitis in circumiectas inſulas ſacrarum cerimoniarum iura,ac imperia diffunduntur.Ibi etiam uiget Cœnobium cucullatorum ſacerdotum ex ordine diui Benedicti,miro templi ornatu, & ſancta frugalitate celebratum. In ea quoque antiquiſſimorum regum ſepulchra inſculptis elogijs, & rerum geſtarum titulis ſpectantur. Nam antiquitus eorum funera ſumptuoſiſſimo exequiarum apparatu in Hionam atratis claſſibus ducebantur,qui mos demum exoleuit, frigente ſcilicet cura pietatis, & laudis apud eos,qui aſtuta ratione,ut pompæ decus contẽnere uideantur,facilè uel honeſtiſſimis ſumptibus parcunt, & ſuorũ manibus nullo,uel ſimplici cultu parentandum exiſtimãt. Aſſeruantur & in arcanis templi armarijs uetuſtiſſimorum annalium codices: atque item latæ membranæ ipſorum Regum ſubſcriptæ manibus, aureis,uel cereis ſigillorum imaginibus obſignatæ: quibus antiquę leges,edictaq;,& finium,ac ciuitatum iura publica continentur. Fama quoque eſt, priſca ingeniorũ monumenta, Romanasq; hiſtorias,quæ quiſq; uel idiota cupidiſſime deſideret in illis ſcrinijs recõdi: quas Ferguſius Scotorum regulus nõ incurioſus,ut uideri poteſt, amator hiſtoriæ, Alarico Gothorum Regi comes,direpta urbe Roma ſecum abſtulerit,in Hionamq; demum tumultu Danico diligentius, & tutius aſſeruandas religiosè tranſtulerit: ita, ut non omnino uanum, & irritum uideri poſſit reliquas T.Liuij decades expectare, quarum è tenebris erutarum certa exempla ad Franciſcum Galliæ Regem Scotorum literis prolixè,atq; munificè præmiſſa nuper

audiuimus. Maxima uerò omnium Hebridum Leuiſſa exiſtimatur, quam è littore Britannico ab Agricolæ ſocero ſpectatam Tacitus Thylem eſſe putauit, quum Scothlãdia proculdubio, uti terrarum ultima, ea ſit Thyle, quæ Virgilij carmine celebratur, in quam uix trium dierum nauigatione, & ſecũdis quidem tempeſtatibus ab extrema Scotia peruenitur. In ea Ictyophagi omniũ rerum, & brumali præſertim tempore cœleſtis lucis inopes degunt. Cæterùm ex Hebridib. extrema uocatur Hirtha, ab hircis ingentibus, quibus abundat, ut ferunt, appellata. Ii enim proceritate eximia, aſinos antecedunt, in eaq; polus ab Arctoo cardine tribus & ſexaginta gradibus eleuatur. Ad earum porrò numerum, ut diximus, reliquæ accedunt, & eæ prorſus ignobiles, quòd alia cœli & terræ malignitate ſint inculta, aut aſpera ſaxis, alia autẽ arbuſtis, & uirenti ceſpite nuda: nonnullæ etiam uti perpetuis cinctæ cautibus penitus inacceſſę atq; ita formidabiles, ut à piſcatoribus tantùm adeantur. Inde uaſtus ſeſe in immẽſum pãdit Oceanus, ad Corobrechum ſupra Hirtã, inuſitata, inuitabiliq; uertigine infamis. Nam ibi maria occulto naturæ impetu in orbem rapidiſsimè concitata, attractu uiolento nauigia abſorbent. Quum itaq; Hebrides ad Occaſum in Hyberniam ſpectent, ab altero Scotiæ littore Orchades, ab Oriẽte ſole in Noruegiam obuertuntur, numero, uti ferunt, ad triginta. In ijs Pomonia ſummam obtinet claritatem Chirchouallio urbe binis munita arcibus ualde inſignis. Eſt enim Pomonia cæteris omnibus maior, atque fertilior, è qua Claudius Cæſar deuicto, & capto Ganio Rege triumphi laureolam expetiuit: ſegete omni præſertímque ordeo plurimum abundat: triticum tamen ad generoſam frugẽ non prouenit, quum nec maiores & fructiferas arbores ferat: ſed in ea ſunt frequentia maioris, minoriſq; pecoris armenta, leporumq;, & cuniculorum admirabilis multitudo, olores, grueſq; uiſuntur innumeri. Subeſt & opima piſcatio ita, ut hac inſigni tantarum rerum copia deſideratæ frugis incommoda facilè ſarciantur. Cæteræ inſulæ ſunt in ditione Pomoniẽſis Antiſtitis, ſed Scotiæ Regum imperijs reguntur. In his eadem natura ſoli, atque eadem cœli ſalubritas: ſed quæ ad Noruegiam propius accedunt, uitæ duritie, & moribus multò agreſtiores exiſtimantur. Sunt & aliæ ultra Orchadas inſulæ, quas Scethlandias uocant. Earum incolæ ſeminudi, atque inopes, ouis auium, & ſolis propè piſcibus ſeſe alunt: iuſtitia, & pace gaudent, & quum diuitiarum, atque luxuriæ nomina nunquam audierint, in ſummaq; egeſtate, & in perpetuis brumæ tenebris uiuant, ferè omnes incredibili naturæ felicitate ad ſummam ſenectutem perueniunt. Deum adorant, & ſacrorum cauſa quotannis circa ſolſtitium ſacerdos ad eos è Pomonia traijcit, natoſq; eo anno infantes Baptiſmatis fonte perfundit, ſacra ſolennia celebrat, indeq; ſpeluncis, atque tugurijs eorum ſancta aſpergine colluſtratis, acceptiſq; ex durato piſce decumis, abundè ditatus ad Orchadas reuertitur. Vltra Scethlandias ad dextram aliæ quoque paruæ, & ob id innumerabiles inſulæ immanium ſcopulorum effigie, toto eo Oceano ſe diffundunt, quo horrentia gelu, & tenebris Noruegiæ littora quatiuntur. Non longè enim abeſt illud extremum Noruegiorum caput, quod antiquis incognitum, recentiores Coſmographi Nodroſium appellant, enormi ſiquidem terrarum, & littorum uaſtitate, ut ſuo loco dicemus. Scythia in Corum uentum procurrit, continente ipſa, in modum peranguſtæ falcis ad Orchadas incuruata: ita, ut ampliſsimo ſinu, uarijſq; & admirandis anfractibus Suecorum, & Gothorum populoſiſsima regna cõplectatur. Inde ille immenſus,

menſus,& in nullum poſtea littoris conſpectum, niſi infauſta temeritate nauigabilis pateſcit Oceanus,cuius fertiliſsima piſcatione quotannis Europam omnem facilè compleri conſpicimus. Incredibile dictu eſt quanto apparatu, quantisq; claſsibus in eos tractus expeditionē ſuſcipiant populi fermè omnes, qui Britanniæ, Galliæq;, & totius Germaniæ oram attingūt: ingenti ſiquidē ſtudio,laboreq;,uti accidit,in ſpem certā uberrimi prouentus ſocietates ineūt, conſtitutis inter ſe legibus,quibus patentis Oceani ſpatia & tractus,ſublata cōtentionis occaſione diffiniunt. Ea uerò captura omnis, unis alecibus conſtat nunquam expanſæ manus menſuram excedentibus. Hi piſces clupeæ,uel minoris aloſæ argenteo nitore ſpeciem referunt, Aringæq; uocantur, quæ ſalitæ cadis, aut ad pallorem aureum fumo inueteratæ: ad noſtra quoque Emporia conuehuntur. Diſcedunt, ut credi par eſt,ex ultimis Arctoi maris partibus tanquam ex hybernis, ut in orbe noſtro mollius æſtiuent, ouaq; deponant:piſcantium uerò claſſes,in queis ſæpe ad mille nauigia numerātur,adulto uere è continenti Galliæ, atque Britanniæ portubus ſoluunt circa ſolſtitium: toto ſparſim diffuſæ pelago piſcantur.Remeant ante æquinoctium onuſtæ præda:quæ demum fœminarum excepta manibus peculiari ipſarum arte & diligentia curatur, atque diuenditur. Cæterùm quum in alto piſcationi incumbunt, tanta Aringarum uiſitur multitudo, ut earum denſiſsima, infinitaq; agmina perpetuo tranſcurſu liquidiſsimi æquoris nitorem obſcurent, indeq; pigreſcant fluctus, & oppoſita incidentium impetu retia ſæpiſsimè rapiantur. Nauigia corū in medio lata,rotundaq; ſunt, obtuſis admodum proris,& puppibus,ad quas retia religant. Ea autem adeò ſcitè,atque celeriter,ſi fortè tempeſtas immineat, lignea teſtudine conteguntur, ut omnem uel immanium fluctuum contumeliam facilè ferant, & nautæ ſola in uertice adaperta feneſtella, cœlum ſpectent: ac inde pariter aerem, lucemq; recipiant: commiſſuris ſcilicet adeò peritè obſtructis, atque picatis, ut agitata, & fluctuantia pelago, nec merſa unquam, librante, ſuſtinenteq; incluſo ſpiritu, tutiſsimè uolutentur. Adapertus enim Oceanus per ſolſtitiales dies amirabili trāquillitate conſternitur, quum rariſsimè quoque eueniat uel ſubortis etiam uentis, ut ſpumoſis, atque refractis fluctibus intumeſcat, remotis ſcilicet terris,quæ ſuo naturali halitu uētos, & procellas adgenerent.In extremis porrò, & niuoſis Noruegiæ littoribus homines feros monſtroſo aſpectu, & prælongis undique ſetis, & crinibus coopertos, maximeq; horribiles uerſari tradunt, qui terribili garritu pro ſermone utātur, minoresq; plantas admiranda ui manibus reuellant:in Oceano quoque,& fluuijs mirificè corripiendis piſcibus urinentur, & per glaciem, & duratas niues firmo ueſtigio ſtantes, in corticibus arborum, præuſtisq; innixi contis decurrant,ut feras conſectentur. Ab his eiectos in littus peregrinos homines per noctem, quòd peroſi lucem in tenebris maximè graſſentur, fuſtibus interimi, deuorariq; aſſeuerant, immanium Canibalum more, quorum inſulas ea ſæuitia infames, Columbus Ligur Hiſpanica claſſe prouectus, in occidente repererit, quum felici auſu alterum nobis orbem aperiret. Has Scythicas atroces belluas ætate noſtra coſpexêre Scotorum Legati à Ludouico Rege Galliæ redeuntes: uixq; eas militari uigilia, uirtuteq; poſt inſignem metum effugêre: quum è Morino littore in altum arrepti tranſuerſis tempeſtatibus ad inhoſpitum Noruegiæ littus perueniſſent. Sed hæc monſtrifera loca,inuſitataq; pericula narrantibus, nemo niſi inuerecundus fidē aſtruxerit, aut improbus eleuarit. Nos autē

in præclaro testimonio recentis historiæ, ut in certissima ueritatis luce consistemus: ne adulatione dulcissima ægris, aut ociosis animis fabulosa ad uoluptatem scribere uideamur.

F I N I S.

I N D E X.

NOVA ET ANTIQVA LOcorum nomina in Scotia.

Aberdonia gymnasium, Aberdine.
Alectum, nunc Deidonum ciuitas, Donde.
Angusia, olim Orestia, nunc Anguishe.
Argadia, Argathelia, Argile.
Bremenium, Breuicium, Breuic, oppidum in Scotia finibus, nunc Anglica ditionis, olim Ordulucium appellatum.
Brigantia Gallouidia, Brigantes, nunc Gallouais, Calender & Calder, ubi olim Galedonia sylua ingens, cuius nunc pauca extant uestigia.
Carrictonium oppidum, Carbantorigum, Carrik.
Cathenesia, ubi olim Carnones, nunc Cathnes.
Cluda fluuius, olim Glota, nunc Cloit.
Diva fluuius, nunc Dea, Dee.
Dunchelanum ciuitas, olim Calidonæ castrum, nunc Dunchel.
Dunbarrum, Vararum, Barri castrum, Dunbar.
Dunbretonum, Britonum castrum, olim Alcluth.
Ednigburgus regia ciuitas supra Fortheam fluuium sita, olim Agneda, & arx puellarū dicta.
Euonium castrum, nunc Donstaphage.
Fortea fluuius, olim Loxa, nunc Fierth.
Fifa, Fiflangia, olim Otholinia.
Grāpius mons, Grāzebain, id est mons incuruus.
Hybernia insula, Irelandia, Ireland, ubi Dublinum ciuitas, olim Eblana.
Hebrides insulæ, olim Ebudæ, siue Ebonia.
Iona insula, nunc Chilca, uetus Regū sepultura.
Laudonia, olim Pictlandia, siue Pictorum terra.
Lacus Lomanodus insulas habēs triginta, Logh, Lomund.
Lenosia, Lennos, ubi olim Elgouia.
Leninus fluuius Bodotria.
Mons rosarum, Montros, olim Celurca.
Nouatum, Chersonesus, & promontorium, nunc Terræ caput in Argadia.
Orchades insulæ, nunc Orkneys.
Perthum, siue Bertha, nunc oppidum S. Ioannis. Seynth Ioans trouune.
Pomonia Insula, Kirchouallia.
Sterlingium castrum, Sterling, unde ponderum, & mensuræ nomina, olim Mons dolorosus.
S. Ninianus, Seynt Tronians, olim Cādida casa.
Taus fluuius, nunc Tai.
Tarredume promontorium, ubi nunc Dongisbeū.
Thezailum promontorium, nunc Buthania, Buthuuayn.
Thule Insula, siue Thyle, nunc Schetlandia.

F I N I S.

AD PAVLVM IOVIVM Episcopum Nucerinum.

VIRORVM ALIQVOT IN BRITANNIA, qui nostro seculo eruditione & doctrina clari, memorabilesq́; fuerunt.

E L O G I A.

Per Georgium Lilium Britannum exarata.



CVVM ad Britanniæ Insulæ situm, lociq́; naturam, Doctiss. Præsul, peregregiè abs te descriptam, haud ab re fuerit in eadem insula ingeniorum quoque fertilitatem agnouisse, ut Bedæ, Alcuini, Scoti, Ruperti, quos uel multis ab hinc seculis terra illa peperit, aliorumq́;, qui suis temporibus inter scriptores celebratissimi enituerunt. nomina præterea clarorum aliquot

aliquot uirorũ, quos poſterior hæc ætas noſtra produxit, rudi penicillo utcũq; adumbrata Elogia tibi nunc affero. Hoc enim ut facerẽ, cum uel ex tuis ſcriptis illuſtrata nunc Britannia me inuitauit, tum uel communis patrię meæ charitas, & iſtorum uirorũ, quos egomet omnes propè de facie cognouerim, dignitas impulit. Accipies igitur ea, qua ſoles alacritate ad deſcriptam hãc abs te Britanniam feliciſsimum quocq; eius inſulæ partum, quæ nobis uno atq; eodẽ ſeculo multiplici eruditione & doctrina, uel iſtos quidem ante alios omni memoria digniſsimos edidit. Quod autem ad ordinem, atq; in recẽſendo ſeriem attinet, quum eiſdem temporibus omnes ſub duobus Henricis, Septimo & Octauo eiuſdem nominis regib. (quorũ imperium ſexaginta circiter annorũ ſpatium complectitur) extiterint, operæpretium eſſe duximus ut alius ante alium uita primò exceſſerit, ita & ſubſequentem de ſingulis narrationem attexere.

Ioannis Coleti.

HONESTISSIMIS ſuæ ciuitatis parentibus Ioannes Coletus Londini natus eſt, patre ad ſummam præfecturam bis in ea urbe uocato, matre nobili ac prædiuite fœmina, ex uno tantùm coniugio uigeſimo ſecundo partu leuata, Ioanne Coleto natu maximo, eodemq; ex tam fœcunda prole, cui omnis ueniret hæreditas defunctis cæteris ſuperſtite. Is ſtatim à pueritia liberalib. diſciplinis domi inſtitutus, mox tanquã auidus optimarum artium mercator, Galliam primò, deinde Italiam adijt: præcipuè autem ad ſacrarum literarum ſcientiam, omnem ſtudiorum ſuorum curſum direxit. Ex Italia in Britanniam reuerſus, trigeſimum circiter ætatis annum agens, in Oxoniẽſi gymnaſio cum ſumma Chriſtianæ uitæ diſciplinam profitentium admiratione, publicè Paulinas Epiſtolas omnes gratuita opera enarrauit. Oxonio deinde ab Henrico Rege eius nominis Septimo, Londinum eſt reuocatus, & ampliſsimo ſacerdotio donatus, templi in ea urbe maximi, ad diui Pauli Britannico ritu Decanus dictus, ubi per annos aliquot è ſuggeſtu Chriſtiano more concionandi formã auſpicatus, pia diffiniendi atq; diſſerendi facultate, inter ſui tẽporis oratores pręſtantiſſimus habebatur. Huc accedebat egregij corporis proceritas, & ſuſpiciendi oris ſerenitas, ut ſubinde in omni actione mirus, uenerandusq; exiſteret. Tãdem uerò cũ abdicatis rebus omnib. & relicto eo quo fungebatur ſacerdotio, procul hominum turba, cum paucis reliquũ uitæ, in Chriſtianæ Philoſophiæ ocio tranſigere decreuiſſet, ad Scœnum nobili Cartuſienſium monachorum cœnobium, ſeptimo ab urbe Londino lapide, peramœno loco, & alta ſolitudine pię meditationi, ſtudijsq; aptiſsimo, extructo ſibi eleganti apparatu domicilio: peſtilenti ſudore paucis ante annis peculiari Britãniæ morbo ſemel atque iterum correptus, quum & tertiò ab eodem repetitus, utcunque tamen reuixiſſet, ex eius morbi reliquijs contracta uiſcerum tabe, haud ita multo pòſt Londini perijt. Sepultus eſt ad diui Pauli, humili quidem ſepulturæ loco, quem ſibi ante aliquot annos delegerat, inſcriptione addita. Sed & funeris honorem omnem abdicanti, habitus eſt ei amicorum cura maximus, exquiſitaq; induſtria tabula erudito præconio exornata depictaq; ad uiuum effigie ſepulchro affixa. Nihil autem, quod extet, in ſcriptis reliquit, nec multa eum ſcripſiſſe conſtat: ſed puriſsimam Latinæ linguæ elocutionem, eandemq; Laconica breuitate compoſitam, ex aliquot eius ad Eraſmum familiaribus epiſtolis colligere licet, cui

etiam in sacris Biblijs ad antiquæ lectionis dignitatem restituẽdis, ciuilis ac diligens bibliothecæ cultor, haud mediocrem operã præstitit, exhibito ipsi Erasmo uetustissimi codicis exemplari, unde & Biblia ipsa multo nunc quàm antea castigatiora legimus. At illud sanè Coleti præter cætera ad æternã laudem posteritati relictum, quòd illustri in rem literariã patrocinio, Britãniæ iuuentuti erudiendæ Londini scholã publicã magnifico opere extruendam curauerit, pia atq; munifica liberalitate, erogatis in eandem priusquã obiret, amplissimi patrimonij sui opibus, quibus & præceptores duos honestissimis stipendijs alerentur, & adolescẽtes ipsi gratuitò sub eisdẽ pręceptorib. edocerentur. Atq; hoc beneficio Britannia subinde delectissima semper iuuenũ indole, politiori literatura proficientium, ex hac schola præ cæteris nobilitata, fertilissima posteris ingenia ostendit. Fuit is annus, quo Coletus nondum senex, Christiana matre adhuc superstite, obijt, Henrici & Francisci Regum in Morinis ad Arderas colloquio celebris.

Gulielmi Lilij.

EX Odiamo Vuintoniensis diocœsis oppido, Gulielmus Lilius rara ingenij felicitate, rudi & barbaro penè adhuc seculo, inter primos cultioris disciplinæ professores clarum nomen in Britannia meruit. Qui mira peregrinandi cupiditate ingenuus puer Hierosolymam usque pietatis studio peruagatus, mox inde rediens, Rhodi aliquandiu literarũ causa substitit, ibiq; Latinæ pariter & Græcæ linguæ rudimenta perdidicit. Romæ deniq; inter felicissima eius seculi ingenia Sulpitium atque Pomponiũ docentes audiuit, excultoq; admirabili felicitate ad omnia humanitatis studia ingenio, post annos aliquot in patriã reuersus, facilem suis ciuib. elegãtioris disciplinæ uiã primus ostendit: quẽ Ioannes Coletus, honesto stipendio, & ornatissimis ædib. auctum, nouæ scholæ suę Londini primũ præceptorẽ delegit: quo in munere annis quindecim ita se exercuit, ut perutili Grãmaticę artis cõpendio, breui tẽpore multò maximã Britannię iuuentutis partem ad exactissimam Latinarũ literarum cognitionẽ perduxerit. Extat eius Syntaxis inscriptione libellus, Latini sermonis constructionem breuiter & eruditè explicans, sub Erasmi nomine à librarijs exceptus, cui Lilius id operis recognoscendum paulò antea quàm ederetur, obtulerat: nec enim postea libellus, quem alterius iudicij censuræ submiserat modestus ingenij sui æstimator suo ipsius nomine in publicum prodire uoluit. Scripsit, & ad inutilem grammaticarum præceptionum congeriem abolendam, paucis exametris uersib. de Latinorum nominum, uerborumq; generibus opusculũ, rudibus adhuc ingenijs maturandis accommodatum. Sed & in carmine mirè felix atque candidus, Philippum Maximiliani Cæsaris filium, ui tempestatis, dum ex Flandria Hispaniam peteret, disiecta classe, in Cornubici littoris portũ appulsum, elegantissimis aliquot uersibus celebrauit, quum & eodem turbine sublata ex Paulini templi fastigio ænea magni ponderis aquila, quæ facili motu spirantium uentorum regione indicare solet, ad tabernam librariã proximam in depictæ aquilæ tabulam impeteret, quo ueluti prodigio, iam tum non sine diuini numinis potentia, ex tam graui naufragio, Philippo Regi, qui pro insigne aquilam gerebat, optatam in Britannia salutem contigisse ostendit. Carolum item Quintum Cæsarem ab Henrico Octauo Rege magnificentissimè

hospitio

hoſpitio exceptum, & celeberrimo ſpectaculorum apparatu Londini urbē intrantem, panegyrico carmine, & luculenta oratione à puero in foro pronunciata laudauit. In uertendis autē Græcis aliquot Epigrammatibus, cum Thoma Moro adoleſcens contendit, in cuius gratiam Spiritei Hetruſci equitis libellũ haud illepido argumento ad talorum iactum deductas ſortes interpretantem, ex Hetruſca lingua in Britannicā, periucũda adhibita ſermonis gratia, cõuertit. Ad poſtremum, deſæuiente Londini peſte, coniuge, qua cum amabili ſemper concordia ſanctiſsimè uixerat, abſumpta, & numeroſa ſimul ſobole, quam ex eadem ad decimam quintam uſq; prolem ſuſceperat, penè orbatus ex uerrucula, quæ diu antea coxæ adnata, temerè ſcalpendo, recrudeſcentibus poſtea doloribus, ad ingentē ſtrumam uenas, arteriasq; implicantem, malignè concreuerat, multum uexatus, ex chirurgia medicis aliquot facilem eius morbi curationem ſibi promittentibus, licet pleriſq; id omnino diſſuadentibus, & Linacro in primis certiſsimum uitæ periculũ ei prædicente, ſecari uoluit, unde & ſeptimo poſt die quinquagenarius interijt, cum magno ciuium ſuorum deſiderio, quibus dum uixit, gratiſsimus extitit. Sepultus eſt in Paulini templi ueſtibulo ad Agnetis coniugis latus, ſub eius anni initium, quo paulo antea Rhodos Inſula à Solymano Turcarum principe expugnata fuerat.

Guilielmi Grocinij.

PARIBVS quoq; auſpicijs eruditi ingenij laude apud Britannos celebre Grocinij nomen iam inde poſteris permanſit. Qui prima Grecæ & Latinę linguę rudimenta in Britannia hauſit, mox ſolidiorē eiſdē operā ſub Demetrio Calchõdyle, & Politiano præceptorib. in Italia impendit, ac deniq; in utraque lingua peritiſsimus euaſit, domumq; rediens, ad excolenda Britannorũ ſuorũ ingenia, cõgeſtas ſtudiorum opes liberaliter effudit. Qui primus in Oxonienſi gymnaſio frequenti iuuenũ concurſu Græcas literas publicè profiteri cœpit. Sed & Philoſophiæ ſtudia ſecutus, diuinum illud Platonis ingenium Ariſtotelem ſolum extollendo, ita neglexit, ut opponentibus interdum ſeſe ad Platonicæ doctrinæ defenſionem amicis, truculenta uoce reſponderit, Platonem nihil aliud in tota diſciplina, præter quàm Græcorum figmenta, & aniles fabulas rudibus philoſophaſtris proponere: Ariſtotelis uerò, unà cum Linacro, & Latemerio communicato labore, interpretandi prouinciam eſt aggreſſus: quàm tamen paulo pòſt, oblato ſibi ſacerdotij honore, mutato conſilio deſeruit. Fertur & à nonnullis adoleſcens Alcumiſticæ artis ſtudium aliquandiu ſecutus, quod etiam Britãnicis legibus damnatur, & hoc ab eo per iocum percunctanti quondam Henrico Septimo Regi, ingenuè reſpondiſſe, eius artis ſiquidem ſecreta perſcrutandi deſiderio, ſe curioſa iam olim quorundam æmulatione ſeductum, ſed fruſtra fatigando nullum ſibi inde inuentum lucrum. Vixit paruo contentus, exquiſitam omnem urbanitatem ſimplici, & ſubruſtico ſermone comiter excipiens, ac deniq; uel unica tantùm, dum uiueret, ingenij laude nobilis. Obijt ſexageſimo circiter ætatis ſuæ anno, nihil uſquã, quod extet in ſcriptis poſteritati relicto.

Thomæ Linacri.

EODEM ferè tempore, quo & Grocinius, Thomas Linacrus perdiſcēdi ſtudio ex Britannia in Italiam uenit, Florentiæ Demetrio & Politiano præceptoribus uſus, atq; à Laurentio Medicεæ familiæ Principe uiro, præclari ingenij admiratione, familiariter acceptus. Romam inde optimarum artiū cognitione auctus, ad perſcrutādas antiquę Vrbis opulentiſsimarū bibliothecarum diuitias profectus eſt, ibiq; cùm aliorū, tum & Hermolai Barbari docta cōſuetudine ad ſummum excellentis ingenij profectū peregregiè uſus, diu deſideratum literarum decus in Britanniā attulit, Arthuro principi, Hērici Septimi Regis filio aliquandiu præceptor datus: pręcipuè autem ad medicinæ ſcientiā uix ulli adhuc in Britannia nato feliciter tentatum, ſtudium omne conuertit. In hac demum ita ſe exercuit, ut commendata ſibi Henrici Regis ſanitatis tutela, & talari toga purpurea amictus, uilloſi ſerici nigri ſtola lata in humeros proiecta, inter aulæ Regiæ proceres conſpicuus incederet. Inter alia uerò præclara eius ingenij monumenta, uel illud Galeni de Sanitate tuenda opus, è Græco ſumma Latini ſermonis elegantia feliciſsimè traductum, immortalem ſibi apud poſteros laudem comparauit. Extat & Procli Sphæra eruditè ab eo interpretata, & Arthuro Principi dicata. Sed & de Emendata Latini ſermonis ſtructura, ex præſtantiſsimorum authorum obſeruatione compoſitum uolumen, paulò antea, quàm uita excederet, publicauit, adſcripta præfatiuncula Mariæ Henrici Octaui ex Catharina Hiſpana coniuge filiæ, laudatiſsimæ indolis, & admirabili uirtutum omnium concentu, ad omnem gratiam promerendā natæ Principi, cui renouato prudentiſsimi patris exēplo Henricus Rex Linacrum à tuenda ſanitate præfectum adhibuit. Diu autem ualetudinarius, quum & exquiſitiſsima uictus ratione, per multos annos imbecilli corporis habitudinem utcunq; ſuſtentare conaretur, alijs in re medica mirè ſalutaris, ſibi ipſi tamē in depellendo eo, quo laborabat, morbo, omnino inutilis, ad extremum diſruptæ herniæ doloribus confectus, Londini obijt, honeſta domo in ea urbe, medicorum collegio ex teſtamento relicta. Sepultus eſt in diui Pauli templo maximo, ad Septentrionalis portæ ingreſſum, eo ferè tempore, quo Franciſcus Gallorū Rex ad Ticinum in Ciſalpinis pugnans, à Cæſarianis ducibus captus eſt.

Thomæ Lupſeti.

VIx ulli felicius unquam inter Britānos, quàm Thomæ Lupſeto ingenium contigit. Is enim Londini honeſto loco natus, & à Ioanne Coleto ob egregiam indolem in tutelam aliquandiu familiaritatemq; receptus, ſub Gulielmo Lilio Græcæ, & Latinæ linguæ rudimenta didicit, moxq; admirabili ſtudio, & induſtria in optimarum artium cognitione tantus euaſit, ut adoleſcens in Oxonienſi gymnaſio Ciceronis Philippicas expreſsis oratoriæ facultatis coloribus, cum magna eruditi ingenij admiratione publicè perlegerit. Sed Ludonico Viue, homine Hiſpano, difficiliori propè ęmulatione eius ſcholam excipiente, in Italiam optimorum ingeniorum parentem tranſcendit, ac Reginaldo Polo Regio ſanguine illuſtri, quem per id tempus Rex Henricus Octauus ſtudiorum cauſa Patauium miſerat, ſe adiunxit; ubi annis aliquot per

omnia

omnia diſciplinarum genera euagatus, mox in patriam reuerſus, auream illam Chryſoſtomi eloquentiam præcipuè admiratus, in ſacrarum literarũ arce conſtitit: cùm tamen Thomæ Vulſei Cardinalis Eboracenſis importunis efflagitationibus, initam ſtudiorum ſuorum rationem perinuitus relinquere coactus eſt, Thomæ Vuinterio eiuſdẽ Cardinalis alumno, magnis ſumptibus Lutetiæ Pariſiorum præceptor aliquãdiu adhibitus. At inclinata paulò poſt Eboracẽſis Fortuna, quũ iam iterum ſui iuris eſſe cœperat, ad antiquã illã Poli familiaritatem, qui etiam ad id tempus peropportunè cum ſumma Regis ſui gratia in Galliam traiecerat, atq; ad priſtina ſacrarum literarũ ſtudia ſe recepit. Quumq; iam omnes in ſummam ſui admirationem conieciſſet, & honeſtiſsimo ſacerdotio auctus, ab Henrico Rege haud obſcuris beneuolentiæ indicijs, repetita ſæpe memoria, ad maiora deſtinaretur, pituitæ diſtillatione à capite, exulceratis pulmonibus tuſsi, ac febre diu laborans, iuuenis adhuc, quarto circiter ac trigeſimo ætatis ſuæ anno, Londini contabuit. Ex eius ſcriptis, nihil uſquam adhuc publicè prodijt, quum omnia potius ad priuatum uſum penes ſe domi ſuę uiuẽs deponeret, quàm alibi poſt mortem publicãdà relinqueret, eademq; ut plerũque patrio ſermone cõſcripta, quum tamẽ & Latino promptiſsimè, atque elegãter, nõ in ſcriptis tãtùm, ſed in familiaribus colloquijs ſæpe uteretur. Ex ijs autem, quæ nobis adhuc pueris, ab eo ipſo aliquãdo ad deſcribẽdum tradita meminimus, uel hæc in primis fuêre: Homeliæ aliquot ad Chryſoſtomi imitationem ad amicos cõſcriptæ: Dialogus, in quo acerrima quadam reprehẽſione, incorruptos ſui ſeculi mores inuehitur, maximè uerò in deprauatã quorundam in aula regia cõſuetudinem; qui de rebus ſacris diſputationes in medijs epulis, & compotationibus, profanis uerborum iurgijs mutuò inter ſe agitãtes, de ſacerdotali ordine & dignitate parum reuerẽter iam tum ſentire cœperãt. Ad iuuenem quendam in ciuili hominum commercio de Formãdo optimo uitæ ſtatu: ad alterum familiarem ſuum, de Futuræ uitę generoſa prẹmeditatione, deq; morte nequaquam Chriſtiano homini pertimeſcenda. Extant familiares aliquot Epiſtolæ ad Lupſetum ab Eraſmo Roterodamo peramanter cõſcriptæ, maximè uerò illa, in qua de Edouardo Læo grauioribus cẽſuræ notis in noui Teſtamenti traductione, eius nomine detrectante, & obeliſcis quibuſdã eius ſcripta confodiente, apud Lupſetum, qui Eraſmum ipſum à Læi calumnia defendere uidebatur, prolixè cõqueritur. Obijt quinto, & trigeſimo circiter ætatis ſuæ anno: quo tempore Henricus Octauus Rex Catharinæ Rẹginæ repudium moliri cœperat.

Ricardi Pacæi.

INTER erudita quoq; Britanniæ ingenia Ricardi Pacæi clarum nomen his temporibus enituit. Qui defuncto Coleto ſucceſſor datus Lõdinẹnſis tẽpli ad diuum Paulum Decanus dictus eſt. Hic ſub Hẽrico Octauo Rege, ſumma apud omnes parta gratia, in aula diu eſt uerſatus, & publicis aliquot legationibus magna apud exteros cõparata ſui nominis fama, honorificè functus. Sed uel in primis totius Italiæ iudicio eximia ei laus tributa, quũ & apud Venetos per annos aliquot, ac deinde Romæ ſub Clemẽte Septimo Pontifice, difficillimis tẽporibus, multa dexteritate Regis ſui negotia tractaret. Ad poſtremũ inuidioſa quorundam æmulatione ab eo, quo fungebatur legationis munere, ex

Italia domum reuocato, cum multa ab eiſdem æmulis periniquo iudicio interpretata ei palàm obijcerētur, quo eius in agendis rebus induſtriam uerbis eleuarent, & apud Henricū Regē exiſtimationi detraherent: tāta eius rei indignatio animum pupugit, ut inualeſcente ſubinde atrę bilis morbo, in ſubitam mentis inſaniam proruperit, ex qua uix unquam poſtea reuocatis ſenſibus rectè conualuit. Sacerdotia, quæ ampliſsimi prouētus, & Epiſcopali dignitati proxima ei obtigerāt, altero, quod apud Exoniā ciuitatē in Deuonia poſsidebat, ubi in Cornubicum promontorium Britannia extenditur, Reginaldo Polo, quo cum familiariſsimè aliquandiu in Italia uixerat, libera uoluntate ceſsit, alterum Lodini ad diuum Paulum, Stephano Gardinerio, ſolertis ingenij, atque induſtriæ uiro, & Henrico Regi tum à ſecretis, reliquit. Erant in Ricardo Pacæo multa, & ea quidem haud vulgari literarum cognitione, inſtructum ingenium: præter cętera uerò mira ex tempore dicendi ſcribēdiq; fœcunditas, ita ut cuncta quæ aggrederetur, non minus citò, quàm feliciter & elegāter perficeret. Acceſsit ad Latinæ Græcæq; linguæ peritiam, Hebraicarum quoque literarum intelligentia, quibus eam operam breui temporis ſpacio impendit, ut non mediocrem inde fructum ad ſacrarum literarum interpretationem attulerit conſcripto uolumine, in quo ueteres illos bibliorū interpretes in pleriſq; inſcitia lapſos oſtendit. Obijt paulò poſt Lupſetum, quadrageſimum circiter ætatis annum agens, Henrico Octauo Rege repudiata Catharina coniuge, infauſtas Annæ Boleniæ nuptias appetente.

Ioannis Roffenſis Cardin.

NEMINEM multis ab hinc ſeculis animi candore, integritate, & præſtanti ſacrarum literarum ſciētia ſuperiorem uni Ioanni Fiſcherio Roffenſi Epiſcopo Britannia edidit: cui primùm Cantabrigienſis Academia, ubi is paulò antè ſcolaſticæ philoſophiæ omnia accuratiſsimè perdidicit, publici gymnaſij præfecturę honorem detulit. Is eſt, quem Britanni Cancellarium dicunt, quod munus omnium illic philoſophantium curam cōplectitur. Rex autem Henricus eius nominis tum Septimus, religioſi animi Princeps, nullius cuiuſquam interpoſito fauore aut gratia, ſed commendantibus ſibi eum ſua pietate, & doctrina ad Roffenſem Epiſcopatum euocauit. Eſt ea in Cantio ciuitas medio inter Londinum & Cantuariam itinere poſita, Roffa ſiue Roceſtria nuncupata. Accepta hac itaque prouincia Ioannes Fiſcherius, uitæ ſanctitate, & doctrina optimo Antiſtite digniſsima, uigilantiſsimus ſui gregis cuſtos, permultos annos eidem ita præfuit, ut non modò Britannorum ſuorum, ſed externorum quoque ubique gentiū animos, in magnā ſui nominis admirationem traheret, donec tandē Henrico Octauo Rege à paterna, auitaq; pietate multum aberrante, Roffenſis perpetua pietate conſtans, quòd Regi repudiata Catharina coniuge, inſanabili ingenio, cōtra Romani Pontificis authoritatem pleraq; à communi pietate aliena in ſuo Regno decernēti, ſolus uti uerū Epiſcopum decuit, paternè eū primò officij admonere, ac poſtremò nefario eius decreto, quo Eccleſiaſticā poteſtatem omnē ſibi ipſi tanquā ſupremo capiti uendicauerat, non modò non obtēperare, ſed palàm ei reſiſtere auſus ſit, in carcerem datus eſt: ubi quum per aliquot mēſes imbecillo corpore ſenex, animo tamē inuictus perſiſteret, Henricus Rex propoſiti pertinax, ne vulgi opinionem iam concepta doctiſsi-

doctiſsimi præſulis unà cum ſanctitate authoritas, profanis eius in rem Eccleſiaſticā conatibus diutius obſiſteret, quū & paucis ante dieb. à Paulo Tertio Pōtifice maximo, pientiſsimi iudicij delectu Cardinalis deſignatus eſſet, maturato exitio caput in foro præcidi iuſsit, quum iā ad exactam uſque ſenectutem perueniſſet, & eodem pietatis tenore Roffenſem Epiſcopatum obtinuiſſet annis triginta tribus. Huius non tam multa, quàm pia eruditè ſatis conſcripta uolumina poſteritati relicta, maximè uerò, quæ contra Lutheranā religionem luculentiſsimè ſcripſit, doctiſsimorum iudicio comprobantur, & quę ſacri ſacerdotij authoritatis defenſionem continent, piumq; illud opus, in quo ſacroſanctæ Euchariſtiæ dignitatem oppugnanti Oecolampadio, libris quinque acutiſsimè reſpondet. Scripſit, & in ſeptem Dauidicos Pſalmos pię meditationis cōmentaria. Idem author extitit, ut Margarita Henrici Septimi Regis mater ſanctiſsimæ indolis fœmina, cui à ſacris confeſsionibus diu præfuit, duo celeberrima eruditorum ſodaliū collegia, regio apparatu in Cātabrigienſi Academia conderet, & delegata eius tutelę omniū illic profitētium cura, aſcitiſq; magnis ſumptib. peritiſsimis utriuſq; linguæ præceptoribus, perpetuo hoc eius beneficio permulti in Britannia exactā Theologiæ cognitionem ſunt cōſecuti. Fuit is annus quum Ioannes Fiſcherius Roffenſis Epiſcopus, uir ſanctiſsimus, ſub Henrico Octauo Rege nefandum capitis ſupplicium in Britānia pertulit, quo Carolus Quintus Cæſar Africana ad Tunetū uictoria inſignis, profligato Barbaroſſa Othomannicæ claſsis præfecto, ad uiginti Chriſtianorum milia in uinculis captiuos, libertati reſtituit: Pridie diui Ioannis Baptiſtæ natali.

Thomæ Mori.

THOMAE Moro uel eò magis propria, ac priuata quædam doctrinæ laus debetur, quòd circunfuſæ Oceano mari Inſulæ terminos uix unquam egreſſus, eruditi ingenij fama maximam Europæ partem doctiſsimorum iudicio impleuerit. Hic Londinenſis ciuis, honeſta familia natus, ſuo ipſius ſtudio atque induſtria, nullo præeunte magiſtro, ad exactam Latinarum literarum cognitionem, Græcas etiā expedita quadam diligentia adiunxit: ut & Latinè, recteq; ſcribere, & ex Gręcis Latina facere, quamprimum feliciſsimè didicerit. Sed à literarum ſtudijs ad forenſes cauſas traductus, tanta iudicij æquitate, & prudentia enituit, ut mox ab Henrico Octauo rege, ad maxima Reipublicæ munera capeſcenda, ſola uirtutis commendatione uocaretur, ac denique per ſummos hominum gradus Britannicò more, ſupremus regni Cancellarius dictus eſt, quòd munus in Reipublicæ gubernatione & dignitate & authoritate apud Britannos longè maximum habetur: quo in officio ita ſanctè & ſyncerè ſe geſsit, ut fidei, iuſtitiæ, & prudentię laus ſumma communiter ei ab omnibus tributa ſit. Sed mox ſub eodem Henrico rege, orta de Catharinæ reginæ coniugio controuerſia, quam ille omnibus modis repudiare, Annam Boleniam thoro inducere, filiamq; Regni hæredem abdicare contendebat: Morus quū per eum, quem gerebat magiſtratum, priſtinam uitæ integritatem, haud quaquam ſe tueri poſſe præuideret, ut non peſsimorum interea cōſiliorum, aut miniſter, aut particeps fieret ab omni negotiorū tumultu ſe ſubducens, dignitate ſponte ſe abdicauit. Sed ne ſic quidem cōmoti iam Regis animus in priuato innocētiſsimi hominis ocio leniri potuit, quin perpetuis primò carcerib. traditū,

ac poſtea iniquiſsimo iudicio condemnatum, eadē ſecuri ſubiecit, qua paucos ante dies, ſanctiſsimū uirum Roffenſem Epiſcopum & Cardinalē, recenti adhuc cæde percuſſerat. Familiam liberorū quatuor honeſtiſsimo patrimonio ditatam reliquit, & priuſquam obiret ipſe, undecim nepotib. auctam, pręcipuè autem in eadē filias tres, literis ac moribus ſanctiſsimè perornatas. Extant eius adoleſcentiæ ſtudia, libellus Progymnaſmatum titulo inſcriptus, in quo cum Gulielmo Lilio eius ætatis æquali, in uertendis aliquot Græcis Epigrammatibus, eodem argumento concertauit. Sunt & nonnulla ipſius Epigrammata, & inuentione, & ſententiarum argutia, felici quodam genio conſcripta: præter cætera Vtopia ad beatæ Reipublicæ optimis legibus inſtitutæ exmplum deſcripta, excellentis ingenij dignitatem poſteris commendauit. Sanctioribus autem Chriſtianæ diſciplinæ ſtudijs poſtremò ſe exercuit, patriamq; à religioſæ pacis perturbatoribus ſparſis inſanæ doctrinæ in vulgus libellis infeſtatā, editis aliquot patrio ſermone uoluminibus, multa cum pietate defendit. Tertiodecimo autem die poſt Roffenſem Thomas Morus, integer animi ſceleriſq; purus, eadem Henrici octaui Regis ſæuitia, hūc uitæ exitum tulit: pridie eius diei, qui à diui Thomæ Cantuarienſis corporis translatione, tricenteſimo & quintodecimo pòſt anno, ſolenni ritu ſacer habebatur.

Gulielmi Latemerij.

SED nec omnino Latemerij nomen inter Britannos doctrinę cauſa celeberrimum, hoc loco prætermittendum, qui unà cum Linacro, & Grocinio eiſdem ferè temporibus, ſtudiorum cauſa, per aliquot annos in Italia uerſatus, utriuſque linguæ peritiſsimus, intimæ philoſophiæ omnia exactiſsimè perdidicit, & eloquentiā ex puriſsimis fontib. hauſtam, antiquorum temporibus æquatam in ſcriptis oſtendit. Ad poſtremum ſtudiorum rationem omnē ad ſacrarum literarum cognitionem, egregio ſacerdote dignam contulit: de cuius eruditione doctrinaq;, quid maius hìc dici poterit quàm quod Reginaldus Polus, quem Romæ adhuc ſingulari pietate Cardinalem uidemus, eum ſibi aliquando in Britannia pręceptorem delegerit? Extat unica tantùm ad Eraſmū Latemerij epiſtola, multa ſtyli grauitate & elegantia conſcripta, in qua ipſi Eraſmo operam ab eo in Noui Teſtamenti recognitione poſtulanti, ac de Roffenſi Epiſcopo in Græcis literis erudiendo ſtudioſè agenti, cum ſumma uerecundi ingenij modeſtia reſpondet. Hunc quum plus quindecim ab hinc annis inſigni & erecta corporis proceritate ſexagenarium ſenem, puer ipſe agnouerim, ut etiam de eo adhuc ſuperſtite dubitem, citra inſtituti rationem cùm de ijs tantùm, qui iam ſupremum diem obierint, ſcribere decreuerim, perexigui tamen utcunque temporis uſura, breui hoc elogio fraudare nolui.

FINIS.

A BRVTO

A BRVTO BRITANNICÆ GENTIS AVTHORE OMNIVM IN QVOS VARIANTE FORtuna Britanniæ imperium translatum breuis enumeratio.

Per Georgium Lilium Britannum:

BRITANNI generis sui antiquitatē ueteri & vulgato aliarum gentiū more extollere cupientes, à nobili Troianorū stirpe se deductos asserunt. Siquidem memoriæ proditum fuerunt, anno ab orbe cōdito octingentesimo circiter, & quinquagesimo supra bis millesimū, Brutum, siue Britonem, Syluio Ascanij Troiani filio Aeneæ nepote genitū, post uarios Fortunæ casus, ex Græcia cum delecta suorum manu in Albionē Oceani maris insulā delatum (ita enim ab antiquioribus olim, à rupiū scilicet albedine dicta, ac tū primum ab eius aduentu Britannia appellata) Britānis populis primā nominis, atq; generis originem dedisse, regnumq; deinceps ab eo sexaginta octo regū serie, per mille & quadraginta circiter annos propagatū. Cæterùm, quæ de ijs regibus à nonnullis Britānicæ antiquitatis scriptorib. cōmemorātur, ueluti res nimia uetustate oblitas, & vulgi nonnunquā fabulis inuolutas, de industria prætermittimus, nolētes quicquam, quod nō incorruptis rerum gestarū monumentis sit traditum, literis mādare. Quamobrem ad propria accedētes, Bedæ, Pauli Diaconi, Polydori Vergilij, & aliorū tum ueterū tum recentiū authoritatem sequētes, Britanniā Insulam, primùm è C. Iulio Cæs. posteris ostensam esse dicimus, antea quidē Romanis prorsus incognitā. Is enim Romanorum primus eā intrauit, magnaq; ex parte deuictā, imperatis obsidib. Romano imperio aliquādiu tributariam reddidit, anno ab Vrbe condita sexcentesimo nonagesimo tertio, ante uerò Christi seruatoris aduentū, sexagesimo. Posthæc & reges quidē suæ gētis aliquot Britānia habuit: cæterùm nomine tenus dūtaxat tota à Prætorib. Romanis administrata. Post C. Iuliū Cęs. Claudius Imperator, à quo Claudiocestrium oppidū, quod nunc Glocestriū dicunt, tumultuantē Britanniā rursus perdomuit, Orchadasq; Insulas Romano imperio adiecit. sed & Vespasiani ductu Vectē quoq; insulā recipit. Imperantib. autē M. Antonio Vero, cū Aurelio Cōmodo fratre, siue, ut alij, Commodo M. Ant. Veri filio, Pontificatū obtinente Eleutherio Græco, Britannia prima prouinciarū, petente id Lucio rege, Christi fidē publicè accepit, inuiolatamq; usq; ad Diocletiani tēpora seruauit. Fuit hic annus humanę salutis octuagesimus secundus supra centesimū. Anno dehinc à Christo centesimo, nonagesimoquinto, Seuerus Imperator recepta multò maxima Britāniæ parte, uallo triginta millia passuū inter duo maria trāsuersum, per insulā ducto, cætera ab hostibus distinxit, ac demū ad Eboracum urbē obijt. Orta deinceps sub Diocletiano graui Christianorū persecutione, Albanoq; cū socijs prima pro Christi fide martyria in Britānia passis, Cōstantius, quē Diocletianus cū Galerio Maximiano Cæs. declarauerat, & Gallijs Hispanisq; præfecerat, per id tempus in Britanniā ueniens: Insulanos grauatè Romanorum imperium ferentes compescuit, ac deinde mitis, & mansueti Principis fama Eboraci moriens, Constantinum filium ex Helena Britannia matre

natum, felicioribus Christiano nomini auspicijs ad imperium transmisit, anno
salutis à Christo decimo supra tricentesimũ. Pacatiora deinde aliquandiu tem-
pora grauior tandẽ in imperio publicarũ rerum tumultus excepit: Theodosio
enim iuniore, & Valentiniano imperãtibus, anno salutis humanę quadringen
tesimo, quadragesimo tertio, distracto undique à Barbaris in Italia imperio,
Britanni à Scotis & Pictis finitimis populis graui bello petiti, & ab Aetio Pa-
tricio externis bellis in Gallia occupato, frustra implorantes auxilium, excusso
Romanorum imperio, quingentis & tribus annis postea quàm à C. Iulio Cæ-
sare subacti Romanis ducibus parêre consueuerant, suæ genti regnum restitu-
re conati sunt, rerumq; suarum summam uni Vortigerio deferunt. Sed is irru- 1.
entibus in eum magno impetu hostibus, uiribus impar, Anglosaxones fero-
ces Germaniæ populos in auxilium accersit: qui statim Hengisto, & Horsa du
cibus, cum magna suorum multitudine in Insulam traijcientes, Scotorum, Pi-
ctorúmque uim aliquandiu prohibuerunt, sed mox Britannicarum opum de-
siderio, ex consuetudine illecti, icto cum hostibus fœdere in ipsos Britannos,
quos iuuare debuerant, arma conuertunt, à quibus nec destiterunt, donec pul-
sis in continentem Galliæ Armoricã Britannis, uniuersam ferè insulam in suam
ipsorum potestatem redegissent, quę ab eorum incolatu, nec ita multo pòst no
men cum imperio mutauit, ac pro Britannia, iam inde Anglia dici cœpta sit.
Successit Vortigerio Vortimerius filius, quo regnante Aurelius Ambrosius 2.
Romani sanguinis superstes, Saxones occiso eorũ Duce Hengisto ingenti cla-
de prostrauit. Hunc insequutus est Vtherius cognomento Pendraco: Vtherij
principatum excepit Arthurus filius militaris disciplinæ, & orbicularis mensæ
fundator, Britãnorũ Regũ apud posteros celebratissimus, cui successere haud
pari quidem felicitatis laude, Cõstantinus, Aur. Conanus, Magloconus, Carẽ
tius, & Codouallo, qui aliquot annis, quibus regnarunt, imminentem patriæ
casum contra Saxones pugnando ægrè sustentare conati sunt. Cadoualladrus
denique Cadouallonis filius Britannorum Regum ultimus, magna suorũ par-
te occidione occisa, cum reliquis in extremos Vuallię sinus, ubi olim Cangano
rum promontorium, & Maridunum, quæ nunc Cæerdiganum, & Caermardi 3.
num uocant, relegatus, indeq; in Armoricam Galliæ pulsus, ac postremò Ro-
mam profectus, anno salutis humanæ sexcentesimo, in priuata uita consenes-
cens, Saxonibus inconcussum in Britannia imperium reliquit: ac primò quidẽ
per principatus in septem regiones siue regna diuisum, quæ partim à uentorũ
nominibus, partim à locorum situ diuersam appellationẽ inter se sortita sunt,
donec progressu temporis uictricis populi opes in unum corpus coalescẽtes,
ad amplissimam posteris, qualem nunc cernimus, Monarchiam concreuis-
sent. Cæterùm quinam ab Hengisto interim, siue duces, siue mauis Reges, in
singulis prouincijs, quas sortiti sunt, extiterint, nominatim omnes hîc recense-
re haud operæprecium fuerit, tum quòd rerum uarietate in plerisq; incertam, 4.
tum quòd temporis exiguitate, quo regnarunt, minus memorabilem de se po-
steris Historiam reliquerint. Quorum autem auspicijs potissimum Anglicum
imperium in eam, quæ postea secuta est, amplitudinem creuerit, eos sequẽti ca-
talogo inseruisse tantùm suffecerit. Fuit is annus, quo AngloSaxones Hengi-
sto, & Horsa ducibus à Vortigerio accersiti, Britãniam primò ingressi sunt (ut
author est Beda Anglo Saxonum præsbiter, luculentissimus horum temporũ
historiæ scriptor) humanæ salutis à Christo, CCCCXLIX. Anglicũ imperiũ,
post

poſt annos aliquot, Daci frequēti in Britanniam irruptione, applaudentis Fortunæ ſucceſſu excepêre: ſed horum barbara Tyrānide breui exploſa, Normani ex Gallia profecti, Guilielmo duce, felicioribus auſpicijs, ad noſtram hāc uſq; ætatem, ſtabilem regno ſucceſsionem dedêre. Seruato itaque nunc ab Anglo Saxonum Principatu, ordine, reliqua deinceps continuata Regum ſerie, per annales digeſta, proſequemur.

ANGLOSAXONVM Heptarchia in Britannia.

PRIMVM Cantianorum Regnum in Cātio ab Hengiſto inchoatum, quorum Ethelbertus primus Rex Chriſtianus effectus ſub Gregorio primo Pontifice Romano, miſsis in Inſulam docendi Euangelij cauſa, Auguſtino, & Mileto monachis anno ſalutis quingenteſimo, nonageſimo ſexto. Hic D. Paulo Londini, & Andreæ Apoſtolo Roceſtriæ celeberrima templa condidit.

Secundum, Auſtralium Saxonum, quorum principatus haud diu durauit, paucíq; in eo, & nullius ferè memoriæ Reguli.

Tertium Orientalium Anglorum, quorum Sigisbertus Rex primus bonarum literarum author, ſuaſu felicis cuiuſdam Burgundiæ Epiſcopi, Cātabrigie publicam Academiam excitaſſe fertur, anno ſalutis ſexcēteſimo, & trigeſimo.

Quartum, Orientalium Saxonum, quorum Sibertus Rex à Mileto Londinenſi Epiſcopo baptiſmum accipiens, Vueſtmonaſterij cœnobium diuo Petro ſacratum, in Londini ſuburbano condidiſſe dicitur, locus nunc regum ſepulchris, aſylo, & iudiciali foro celeberrimus.

Quintum, Merciorum, hoc eſt Mediterraneorum, quorum Pendas Rex primus Chriſti nomen profeſſus, cuius exemplo Mercij paulò poſt cõmuni conſenſu Chriſtiani effecti.

Sextum, Northumbrorum, id eſt Septentrionalium citra Humbrum fluuium, quorum Eduinus Rex primus ſub Honorio primo Pontifice Ronano, à Paulino Eboracenſi Archiepiſcopo, ad Chriſti fidem receptus, diuo Petro Apoſtolorum principi templum Eboraci poſuit, anno ſalutis humanæ ſexcenteſimo, uigeſimo ſeptimo.

Septimum Vueſtſaxonum, id eſt Occiduorum Saxonum, quorū Inas Rex, cuius plurima pietatis officia commemorantur, illudq; imprimis, quòd regnū ſuum Romano Pontifici beneficiariū, & uectigale fecerit, circa annum ſalutis ſeptingenteſimum, & quadrageſimum. huicq; per ſingulas domos quotannis ſingulos denarios appendi iuſsit. Hoc uectigal poſtea Ethelphus Rex auxit. Poſt hæc præualentibus tandem Occiduorum regibus, ſub Egberto Britannia ferè tota in Anglorum Monarchiam ceſsit, à primo eorundem in Inſulam aduentu CCCL.

Cantianorum ab	Hengiſto Duces, & Reges	xvij.
Auſtralium Saxonum	Ellio	v.
Orientalium Anglorum	Vlphio	xv.
Orientalium Saxonum	Erchuino	xi.
Merciorum.	Idio	xxij.
Northumbrorum	Cridio	xx.
Occiduorum	Cerditio uſque ad Egbertum	xvi.

A Bruti aduentu, uſque ad C. Iulium Cæſ. anni M. XL. A C. Iulio Cæſare uſque ad Anglorum aduentum anni D. III. Ab Anglorum aduentu, uſque ad Egbertum anni CCCCL.

ANGLORVM REGVM SERIES.

i	*Egbertus* Ann.	xxxvij.	xxii	*Guilielmus Rufus*	xxiii.
ij	*Edelphus*	xx.	xxiii	*Henricus i.*	xxxv.
iij	*Ethelbaldus menſes v.*		xxiiii	*Stephanus*	xix.
iiij	*Ethelbertus*	v.	xxv	*Henricus ii.*	xxxiiii.
v	*Ethelreus*	ix.	xxvi	*Ricardus i.*	x.
vi	*Alurehdus*	xxviij.	xxvii	*Ioannes*	xvii.
vij	*Edouardus Senior*	xxiiij	xxviii	*Henricus iii.*	lvi.
viij	*Adelſtanus*	xxvi.	xxix	*Edouardus i.*	xxxv.
ix	*Edmundus. i.*	vi.	xxx	*Edouardus ii.*	xix.
x	*Eldredus*	ix.	xxxi.	*Edouardus iii.*	li.
xi	*Eduinus*	iiij.	xxxii	*Ricardus ii.*	xxii.
xij	*Edegarus*	xvi.	xxxiii	*Henricus iiii.*	xiiii.
xiij	*Edouardus Martyr.*	iij.	xxxiiii	*Henricus v.*	ix.
xiiij	*Etheldredus*	xxxviij.	xxxv	*Henricus vi.*	xxxix.
xv	*Edmundus. ij.*	i.	xxxvi	*Edouardus iiii.*	xxiii.
xvi	*Canutius. i. Danus*	xx.	xxxvii	*Edouardus v. menſes ii.*	
xvij	*Haraldus Danus*	iiij.	xxxviii	*Richardus iii.*	ii.
xviij	*Canutius. ii. Danus*	ii.	xxxix	*Henricus vii.*	xxiiii.
xix	*Edouardus Sanctus*	xxiii.	xl	*Henrichus viii.*	xxxviii.
xx	*Haraldus. ii.*	i.	xli	*Edouardus vi.*	vi.
xxi	*Guilielmus Conqueſtor*	xxi.			

An. Chriſti.	Ann. Regni	ANGLI.	An. Chriſti.	Ann. Regni.	
802	i.	EGBERTVS. I. REX ann. XXVII. Occiduorum. xvii. Cantianorum Orientalium, & Northumbrorum regna occupat primusq; Britãniam, Angliam, & uniuerſam gentẽ Anglos appellari iuſsit. nonnulli hoc Hẽgiſto primo Saxonum Duci tribuunt, ac inde Angliam quaſi Hengiſti terrã dictam, propriori Anglicæ dictionis etymologia, England alii Angliterram nunc uocãt.	817	xvii.	
			818	xviii.	
			819	xix.	
			820	xx.	
			821	xxi.	
			822	xxii.	
			823	xxiii.	
			824	xxiiii.	
			825	xxv.	
An Chriſti.	An. regni.		826	xxvi.	Daci rurſus inſulam infeſtãt.
			827	xxvii.	
			828	xxviii.	
			829	xxix	
			830	xxx.	
802	ii.	Alcuinus præceptor Caroli Magni, &	831	xxxi.	
803	iii.		832	xxxii.	
804	iiii.	Ioannes Scotus monachus,	833	xxxiii.	
805	v.	diſcipulus Bedæ clarent.	834	xxxiiii.	
806	vi.		835	xxxv.	
807	vii.		836	xxxvi.	
808	viii.		837	xxxvii.	
809	ix.	Daci prædatores fuſi, fugatiq;.	838	i.	EDELPHVS REX II. An. XX. Egberti filius, ſubdiaconatus gradu initiatus, mox Romani Põtificis authoritate eo uinculo ſolutus, Osburgam uxorem duxit.
810	x.				
811	xi.				
812	xii.				
813	xiii.				
814	xiiii.		839	ii.	
815	xv.		840	iii.	
816	xvi.	D. Chenelmus Merciorũ Princeps ab impia ſorore necatus.	841	iiii.	

Ann. Christi.		Ann. Regni.
842	D.Suithinus,& D.Athelstanus Episcopi.	v
843		vi
844		vii
845		viii
846		ix
847	Edelphus rex Romã profectus Sub Leone Quarto Pont. Inæ Regis institutũ secutus, eam Insulæ partẽ, quam Egbertus pater ad regnum adiunxerat, Romanæ Ecclesiæ vectigalẽ fecit, legemq́; tulit, ut singuli pro singulis, quas habitarent, domib. Romano Pontifici quotannis singulos denarios argenteos ad diem festum Apostolorum Petri & Pauli, vel summũ, ad vincula Petri, persoluerent. Hoc tributũ etiã in hanc vsq; nostram ætatem Pontifici numeratũ esse constat, eiusq́; nummi colligendi gratia testatur se in Angliam à Pontifice missum Polydorus Vergilius Vrbinas, rerum Anglicarum scriptor recentissimus, ac diui Petri denarios vulgo appellari scribit.	x
848		xi
849		xii
850	D. Vuilfridus Archiepiscopus Eboracensis.	xiii
851		xiiii
852		xv
853		xvi
854		xvii
855		xviii
856		xix
857		xx
858	ETHELBALDVS REX III. mens. V. Edelphi Regis filius. ETHELBERTVS REX IIII. ann. V. Ethebaldi frater, Dacos Cantio expellit.	i.
859		ii
860		iii
861		iiii
862		v
863	ETHELREDVS REX V. ann. IX. Ethelberti frater.	i
864		ii
865		iii
866		iiii
867		v

Ann. Christi.		Ann. Regni.
868	Daci, Iuaro Rege occiso, in Northumbris deleti.	vi
869		vii
870		viii
871	D.Edmundus Rex Orientalium Anglorum vltimus, ab ethnicis Dacis confossus, Martyrum catalogo adscriptus.	
872	ALVREDVS REX. VI. Ann.xxviij. Ethelredi frater, Romæ ab Hadriano Secundo pontifice coronatus. Daci, Mercijs & Orientalibus Anglis imperant.	i.
873		ii
874		iii
875		iiii
876		v
877		vi
878		vii
879		viii
880		ix
881		x
882		xi
883		xii
884		xiii
885		xiiii
886		xv
887		xvi
888		xvii
889		xviii
890		xix
891		xx
892	Aluredus Rex, Merciorum Regno potitus, Dacos vicit, Gomornemq́; eorum regem ad Christi fidem cõuersum, Northumbris præficit. Lindisfarne insula à Barbaris deuastata: sedes Episcopalis, cui olim D. Cuthbertus præfuit, hoc tempore in Cestriam oppidũ Dunelmo proximum deducta, atq; inde quadragesimo post anno Dunelmũ vna cũ D. Cuthberti corpore trãslata, qui fuit annus 85. cũ eam sedem Aidanus Scotus in Lindifarne primitus posuerat.	xxi
893	Rex Aluredus hoc anno tria cœnobia magnifico apparatu cõdidit, vnum Vintoniæ, quod nouum Monasterium dicitur, alterum apud Shafrisburiã, quod est virginum uelatarũ, tertiũ ad fluuiũ Thone, loco, qui nunc Athelnea nũcupatur	xxii

ccc

Ann. Christi.		Ann. Regni.
	olim insula Ethelingea.	
894		xxiii
895	Rex hortante Neoto Monacho viro doctissimo, Oxonij publicam Academiam instituit, propositis professoribus literarum præmijs: alteram autem Cantabrigiæ annis antea 265 Sigisbertus Orientalium Anglorum Rex excitasse dicitur, anno Domini 630.	xxiiii
896		xxv
897		xxvi
898		xxvii
899		xxviii
900	Edouardus Senior Rex VII. An. xxiii. Aluredi filius, ab Athelredo Cantuariensi sacratus. Expulsis Dacis, Orientalium Anglorum regno potitus, extra Scotiam, totius insulæ imperium obtinuit.	i.
901		ii
902		iii
903		iiii
904		v
905		vi
906		vii
907		viii
908		ix
909		x
910		xi
911		xii
912		xiii
913		xiiii
914		xv
915		xvi
916		xvii
917		xviii
918		xix
919		xx
920		xxi
921		xxii
922		xxiii
923		xiiii
924	ADELSTANVS Rex. VIII. ann. XVI. Edouardi filius nothus, Scotos, deuicto Constantino eorum Rege, in sua uerba iurare cogit. Northumbria potitus, totius insulæ fit Monarcha.	i.

Ann. Christi.		Ann. Regni.
925		ij.
926		iij.
927		iiii.
928		v.
929	Ludouicus Caroli simplicis Francorum regis filius, post aduersam patris fortunam à Roberto Parisiorum comite, apud Peronam in carcere necati, cũ Edigna matre, quæ Eduardi Regis filia fuerat, in Angliã ad Athelstanum auunculũ cõfugit.	vi.
930		vii.
931		viii.
932		ix.
933		x.
934	D. Vulstanus Eboracensis Archiepiscopus claret.	xi.
935		xii.
936		xiii.
937		xiiii.
938		xv.
939	Rex aucto imperio, duo cœnobia moachorũ ordinis D. Benedicti cõdidit, alterum apud Meltoniam pagũ Sacrisbiriensis diœceseos, alterũ ad Michilneum uicũ. Ad Maluisberiense cœnobium sepultus.	xvi.
940	EDMVNDVS REX IX. AN. VI. Adelstani frater.	i.
941		ii.
942		iii.
943		iiii.
944		v.
945	Rex à latrone quondam confessus perijt. Sepultus Glasconiæ.	vi.
946	ELDREDVS REX. X. An. IX. Edmundi frater. Scotos in officio continuit. Abindonense cœnobium instaurauit.	i.
947		ii.
948		iii.
949		iiii.
950		v.
951		vi.
952		vii.
953		viii.
954		ix.
955	EDVINVS REX XI AN. IIII. Edmundi filius. Consanguineæ stupro infamis.	i.
956		ii.
657		iii.
958		iiii.
959	EDEGARVS REX. XII. An. XVI. Eduini frater.	i.

Ab

Ann. Christi.		Ann. Regni.
	Ab Odone Cantuarienſi Arch. Bathoniæ coronatus. Rex à principio iuuenili errore corruptus, mox optimus princeps euaſit. Ludouallo Vuallorum regulo tricenos lupos quotannis tributi nomine imperaſſe dicitur.	
960		ii
961		iii
962		iiii
963		v
964		vi
965		vii
966		viii
997		ix
968		x
969		xi
970	*Dunſtanus Cantuarienſis Archiepiſcopus,*	xii
971	*Oſualdus Eboracenſis, Ramiſienſis cœnobij fundator,*	xiii
972	*Etheluodus Vintonienſis, clarent.*	xiiii
973		xv
974	*Edegarus Rex, cœnobium monacharum ordinis diui Benedicti Viltoniæ iuxta Sarisberiam condidit, cui Editham filiam uirginem præfecit. Anno ætatis xxxvii. obijt, Glaſconiæ ſepultus.*	xvi
975	*D. EDOVARDVS MARTYR REX. XIII. AN. III. Edegari Regis filius.*	i
976		ii
977	*Edouardus Rex à uenatione rediens, Alfredæ nouercæ inſidijs occiditur, ac ſanctorum Martyrum catalogo adſcribitur. Sepultus Glaſconiæ.*	iii
978	*ETHELREDVS REX XIIII. Ann: XXXVIII. Edouardi frater conſanguineus. Dum Baptizaretur infans, ſacro fonte ventris ſolutione fœdato, inſuper & Dunſtani Cantuarienſis Archiepiſcopi prædictione calamitoſi principatus ōmnia prætulit.*	i
979		ii
980		iii
981		iiii
982		v
983		vi
984		vii

Ann. Christi.		Ann. Regni.
985		viii
986		ix
987		x
988		xi
989	*Daci hoſtiliter Angliã inuadũt. Rex pacẽ pretio redimere coactus, perſoluto eiſdem tributo.*	xii
990		xiii
991		xiiii
992		xv
993		xvi
994		xvii
995		xviii
996		xix
997		xx
998		xxi
999		xxii
1000		xxiii
1001		xxiiii
1002		xxv
1003		xxvi
1004		xxvii
1005		xxviii
1006		xxix
1007		xxx
1008		xxxi
1009		xxxi
10010		xxxiij
1011		xxxiiii
1012	*Etheldredo Rege, ocio, ac luxui addicto, & grauioribus tributis, atque rapinis populum uexante, Daci Suenone Rege Angliã inuadunt. Etheldredus, magna accepta ſuorum clade, de reliqua fortuna deſperans, ad Ricardum Normannorum Ducem, cuius ſororem in uxorem habebat, cũ Alfredo, et Edouardo liberis in Galliam confugit. Sueno Dacorũ Rex, totius Angliæ imperio potitur, ac poſt eum poſteri ann. xxx: SVENO Rex, purgatis prioris uitæ facinoribus, & Dacis ad Chriſtianam fidem tum primum receptis, in Anglia obijt. Canuto filio regni ſucceſſore relicto: ſepultus Eboraci.*	xxxv
1013	*Etheldredus Rex, mortuo Suenone in Angliam redijt.*	xxxvi
1014		xxxvii
2015	*Etheldredus moritur Londini, in D. Pauli templo maximo ſepultus:*	xxxviii

Ann. Christi. Ann. Regni.

1016 *EDMVNDVS Ferreũ Latus Rex XV. Ann. I.* i.
Ethelredi filius.
Post diutinam concertationem cum Canuto Suenonis filio regnũ diuidit, ac paulò post Edrici equitis proditione interficitur.
Edmondus, & Edouardus eius liberi, à Canuto in Pannoniam relegati.

1017 *CANVTVS Daciæ, Noruegiæ, & Angliæ Rex. XVI. Ann. XX. Suenonis Daci filius.* i.
Ab Aluredo Cantuariensi Archiepiscopo sacratus.

1018 ii
1019 iii
1020 iiii
1021 v
1022 vi
1023 vii
1024 viii
1025 *Elphegius Cantuariensis Archiepiscopus, direpta à Dacis Cantuaria, occisus Martyrum catalogo adscribitur.* ix
1026 x
1027 xi
1028 xii
1029 xiii
1030 *Canutus Rex, Romam voti causa petit, sedente Ioanne xx. Pont.* xiiii
1031 xv
1032 xvi
1033 xvii
1034 xviii
1035 xi.
1036 *Rex magna prioris vitæ pœnitentia ductus, sanctissimè obijt. Sepultus Vintoniæ.* xx

1037 *HARALDVS Angliæ, & Daciæ Rex XVII. Ann. IIII. Canuti filius.* i.
Ab incredibili pedum in cursu velocitate, Harefote dictus.
1038 ii
1039 iii
1040 iiii

1041 *CANVTVS Secundus Angliæ & Daciæ Rex. XVIII. Ann. II. Haraldi frater. Hunc à feroci indole Angli, Hardi Canutum, uocant.* i.
1042 *Rex, vino & epulis indulgens, ad Lambithum vicum in altera Tamesis fluminis ripa propè Londinum dato, inter bibendum veneno, confestim periјt.* ii
Angli Dacorũ Tyrannidẽ pertæsi, facto in eosdẽ impetu, duræ seruitutis iugo se eximunt. Daci ad vnũ omnes in Anglia, partim deleti, partim eiecti, post annum trigesimũ quã Sueno Dacorũ primus totius Angliæ imperiũ est adeptus, Alfredo Etheldredi Regis filio ex Normannia, vbi cum Edouardo fratre exulabat, à proceribus ad regnum accersito, eodemq; Godouini Comitis proditione in itinere interempto, Edouardo communi consensu imperiũ defertur.

1043 *EDOVARDVS Sanctus Rex XIX. Ann. XXIII.* i.
Etheldredi Regis filius, Enima Normannicæ matre genitus, Gulielmi Normanniæ Ducis opera ad regnũ adiutus, Rex sanctissimæ vitæ, & castissimis moribus præditus, viginti tribus, quot regnauit annis, summa pace vsus, Regnum optimis institutis, atq; legibus excoluit. Has leges posteri Communes appellarunt, & populus cum à Normannis alijs datis legibus sibi ademptas quereretur sæpe à suis Regibus eas veluti maxima reip. cõmoda, armis repetere conati sunt. Strumã item gutturis vitium, quòd nonnulli scrophulam dicunt, solo tactu in quãplurimis sanasse dicitur. Quã curationem, ad posteros Angliæ Reges, diuina virtute, quasi hæreditariam emanasse ferunt.
1044 ij.
1045 iii.
1046 iiii.
1047 v.
1048 vi.
1049 vii.
1050 viii.
1051 ix.
1052 x.
1053 xi.
1054 xii.
1055 xiii.
1056 xiiii.
1057 xv.
1058 xvi.
1059 xvii.

D. Vul-

Ann. Christi.		Ann. Regni.
1061		xi:
1062		x:
1063		xxi
1064		xxii
1065	*Edouardus Rex obijt, diuino, uti fertur, vicinæ mortis præsagio admonitus, annulo, quē is paulò antea cuidam pauperi D. Ioannis Euangelistæ nomine eleemosynā ab eo petenti dederat, à peregrino quodam Hierosolyma redeunti, sibi reddito. Sepultus est in Vuest monasterij tēplo, ac paulo pòst inter Diuos relatus: annulusq; ille in eiusdē templi archiuis reconditus, comitiali morbo laborantibus mirificè, uti aiunt, salutaris: & hinc natum, vt Angliæ Reges quotannis, annulos solenni cæremonia sacratos, contracta membra diuina virtute dissoluētes, populo erogent.*	xxiii
1066	*HARALDVS Secundus Rex. XX. Ann I* *Godouini Comitis filius, Canuti secundi ex sorore nepos, D. Edouardo cœlibe defuncto, regnum arripit. Qui cum G iilielmi Normāniæ Ducis filiam in coniugem sibi desponsam, rupto fœdere insigni contume.ia affectam repudiasset, Guilielmus dux traiecta in Angliam classe iu taHastingium portum, loco cui ab euentu belli nomen inditum, Haraldum regem, intestinis suorū discordijs, præterea & Noruegiensi bello paulo antea exhaustum, collatis signis cæsis supra viginti Anglorum millibus, occidit. Pridie Idus Octob. Guilielmus victor, Londini regiam coronam sumit viij. Cal. Ian. Normanni.*	i.
1067.	*Guilielmus Normannus Conquæstor Rex. XXI. Ann. XXI. Roberti Normanniæ Ducis Nothus.* *Huius adhuc posteritas per annos 480. viginti regum serie continuata, & abolita ferè ueteri Anglorum prosapia, ab hac veluti antiquissima iam inde Normannicæ stirpis origine, multò maximam nobilitatis partem, nouo stemmate (quod etiam nunc familiaria principum quorundam cognomina manifestissimè arguūt) nostro nunc seculo illustratam esse cōstat. Huius Guilielmi insignia iubati leones tres militari parma depicti, ad posteros dehinc Angliæ reges perpetuò transmissa, cum antea nullū regib. publicū insigne, sed alius alio pro arbitratu sumpto vtebatur. Sunt qui Guilielmum duob. tantū leonib. quod Normānicæ ditionis insigne est, vsum existiment, tertiū ex Aquitania accessisse, qua postea Henricus secūdus vxoria hæreditate creuit.*	i.
1068		ij.
1069	*Rex profligatis Dacis, qui ad regnum capescendum iterum in Angliam irruperant, & frequēti Anglorum procerum rebellione suppressa, ciuib. generatim magna agrorum parte mulctatis, nouos magistratus creat, & antiquā iuris dicendi rationem immutat, legib. quas in hunc diē Angli obseruant, Normannico idiomate populo promulgatis.* *Hoc ipso anno celebris sacrorum Antistitum conuentus Vintoniæ habetur, cui etiam interfuêre Alexandri.ij. Romani pontificis legati, in quo plures sacri ordinis uiri dignitate priuati, ac in ijs Stigandus Cātuariensis præsul desecratus, quòd viuo Roberto Archiepiscopo Cantuariensem sedem occupasset: deinde quòd vnà cum eadē Vintoniensem episcopatum possedisset: ac postremum quòd pallium accepisset à Benedicto X. Ponti. quem vt vitiosè creatum Patres repudiauerant.*	iii.
1070		iiii.
1071	*Lanfrancus Cantuariensis Archiepiscopus.*	v.
1072		vi
1073	*Nouum Castrum ad Tynæ fluminis ripam à Roberto Regis filio extruitur.*	vii
1074		viij.
1075		ix.
1076		x.
1077	*Londini Episcoporum cōuentus, authore Lanfranco habitus, in quo de reformando clero, & de transferēdis Episcoporum aliquot*	xi.

Ann. Christi. Ann. Regni.

sedibus in celebriores ciuitates, decretum.

1078 *Robertus Guilielmi regis filius, instigante Philippo Gallorũ rege, contra patrem in Normannia rebellat, quem paulo pòst supplicem in gratiam recipit.* xii

1079 xiij

1080 xiiii

1081 *Census publicus in Anglia & ingens auri pōdus ex singulorum capitibus à Rege exactus.* xv

1082 xvi

1083 xvij

1084 xviii

1085 xix

1086 xx

1087 *Rex tria praeclara coenobia condidit, vnum in Cantio, eo loci, quo cum Haraldo conflixerat, ad monumentum uictoriae in eo bello partae, idq́; D. Martino dicauit, appellauitq́; coenobium ad bellum, alterum in Lōdini suburbano, quod Saluatoris dicitur: tertium Cadomi in Normannia, vbi templum magnificum D. Stephano posuit. Rex in Normanniam traijcit, vbi dum Gallis bellum inferre parat, ruptis ferocientis equi saltu intestinis, iiij. id Sept. obijt, anno aetatis, lxxiiij. Cadomi Normanniae oppido, coenobio à se extructo elatus, redempto priusquam sepulturae daretur, à quodam eius loci dominũ sibi asserente, terra precio. Roberto ex Mathilda cōiuge filiorum natu maximo, quòd is rebelli in patrem animo esset, Normāniā, Guilielmo cognomento Rufo, Angliae regnum, Henrico gazam omnem legauit: Rufus. iiij. Calend. Octobris.* xxi

1088 *Guilielmus Rufus Rex XXII. Ann. XXIII.* i
Guilielmi Nothi filius, à Lanfrāco Cantuariensi, Vuestmonasterij coronatus. Robertus Normanniae Dux, Rufo fratri bellum infert.

1089 ij

1090 *Lanfrancus Cantuariēsis obijt post annũ, quàm sedere coeperat, xix. Berengarij errorem de Eucharistia luculentè impugnauit, Christi Ecclesiam Cantuariae, & D. Albani coenobium instaurauit. Xenodochia iuxta Cantuariam condidit. Rufus Rex eius morte Cantuariensem Archiepiscopatum grandi pecunia locauit annis quatuor.* iij

Ann. Christi. Ann. Regni.

1091 iiii.

1092 *Carleolum à Rufo rege instauratum.* v.

1093 vi.

1094 vii.

1095 *D. Anselmus Cantuariensis Archiepiscopus.* viii.

1096 *Bellum sacrum in Saracenos, sub Vrbano Papa Claramontano concilio in Gallia decretum.* ix.
Robertus Dux oppignerata Normannia, facta cum Rufo pace, ac decem millibus auri librarũ mutui nomine ab eodem acceptis, ad sacrũ bellum Hierosolymam proficiscitur.

1097 *Malcolmus rex Scotiae Northũbriam incursans, in Alneuichi castelli obsidione, vnà cum Edouardo filio natu maximo, à Roberto Northumbriae Comite occiditur.* x.

1098 xi.

1099 *Hierosolyma à Christianis recepta.* xii.

1100 *Rex in clerum desaeuiēs, & Anselmo Cantuariensi propter piam eius admonitionem in exiliũ eiecto, templorum prouentib. ad priuatum quaestum abutens, ac saepe dictitans, pinguem Christi panem esse, & delitias praebere regib. inter venandum apud nouae forestae saltum, à suo quodam milite, siue casu, siue de industria, sagitta trāsfixus, cōfestim perijt, Cal. Augusti, aetatis anno xliij.* xiii.
Sepultus Vintoniae.
Henricus Nonis Augusti regno succedit.

1101 *Henricus Primus Rex XXIII. Ann. XXV.* i.
Guil. Rufi frater, à Mauritio Lōdinensi Episcopo, Vuestmonasterij coronatus.

Anselmus Cantuariēsis ab exilio reuocatur.

Rober-

Ann. Christi. *Ann. Regni.*

Robertus Normanniæ dux, Hierosolymitana expeditione confecta domum reuersus, contra Henricũ fratrem, regni causa, bellũ in Angliam renouat, de pace tandem ijs conditionib. transactum, ut Henricus, qui patre rege natus esset, Angliæ regnum obtineret, & quotannis tria millia Marcharum Roberto daret, & qui prior sine liberis decederet, alterum hæredem testamento scriberet.

1102 ij

1103 iij

1104 *De sacrorum inuestitura regi cũ clero controuersia, quã Anselmus Cantuariensis Romæ sub Pascali. ij. Pont. componit.* iiii

1105 v.

1106 vi

1107 vii

1108 *Rex in Normanniam traijcit. Robertum fratrem contra pacis fœdera rebellantem, magna Normãnorum strage edita, captiuum secum in Angliam ducit, ibiq́ vitã in carcere finire coegit: Normannia dehinc Angliæ regno cõiuncta.* viii

1109 *Philippus Rex Galliæ moritur, cui succedit Ludouicus Crassus annis xxviii.* ix

1110 *Anselmus Cantuariensis obiit, post annũ quàm sedere cœpit xvi. Anno ætatis lxxxvi. cuius apud posteros multa piè conscripta etiam nunc extant. Castriæ cœnobium in Anglia condidit monachorum ordinis D. Benedicti: sepultus est in æde Christi Cantuariæ, atq; inter diuos relatus.* x

Hoc ipso item anno in Ely Insula Episcopalis sedes primùm instituta, Pascali Pont. Romano approbante.

1111 xi

1112 xii

1113 xiii

1114 *Vigornia incendio tota ferè consumpta.* xiiii

Vualli tumultuãtes, à Rege perdomiti.

Nuptiæ inter Henricum V. Imperatorem, & Mathildem Henrici Regis filiam Maguntiæ celebrantur. Prima parliamẽti concilii institutio.

1115 xv.

1116 xvi.

1117 xvii.

1118 *Initium primi belli Gallici, quod sexcentis fœderibus compositum semper renouatur. Theobaldus Campanus Comes ex Blesensium Comitũ familia natus, atq; exinde Henrico Regi affinitate coniunctus, quòd Adela eius soror Stephani Blesensis Comitis vxor esset, generis fiducia, impetrato ab Henrico auxilio, in Lodouicum Crassum Gallorum Regẽ bellum mouet. Crassus inito consilio cum Balduino Flandriæ, & Fulcone Andauiæ Comitibus, Henrico Regi Normanniam adimere parat, & Guilielmum Roberti defuncti filium in possessionem mittere.* xviii.

1119 *Henricus Rex in Normanniam traiicit, atq; apud Nicasianum oppidum profligatis Crassi Gallorum Regis copiis, victor euasit. Balduinus Flandriæ Comes uulnere accepto, interiit. Andegauensis ad Henrici partes transiit: Pax deinde inter Reges facta, Henricus in Angliam reuertitur.* xix.

Mathildis Regina Hẽrici vxor, Scotorum Regis soror, præstantissima fœmina moritur.

Henrici filii Guilielmus, & Ricardus, ac filia Maria dum ex Normannia in Angliam trãsmittunt, orta fœda tempestate, ac illisa scopulis naue fluctibus obruti, interière.

1120 xx.

1121 *Varinus Salopiæ Comes, hoc tempore duo Benedictinorum cœnobia in Anglia cõdidit: alterum in suburbiis Salopiæ, alterum ad pagum Venelochũ, & hoc diuæ Milburgæ, illud Apostolis Petro, & Paulo dedicauit.* xxi.

1122 xxii.

1123 xxiii.

1124 xxiiii.

1125 xxv.

1126 *Henricus V. Imperator in Germania moritur. Mathildis Augu-* xxvi.

Ann. Christi. Ann. Regni.

sta ad patrem reuertitur, ac paulò post Gaufredo Andegauensium comiti nupta, ab Henrico patre Anglici regni hæres declaratur.

1127 xxvii

1128 xxviii

1129 xxix.

1130 xxx

1131 Innocentio secundo Pont. Romano, ob Anacleti Antipapæ potentiam in Galliam confugienti, Rex in Carnutib. honoris causa obuiã facit. xxxi

Sedes Episcopal. Carleoli posita.

1132 xxxij

1133 xxxiii

1134 xxxiiii

1135 Rex in Normannia moritur iij. Non. Decemb. ad Redingium Benedictinorum cœnobio, quod paulò antea ædificauerat, sepultus. In hoc omnis Guilielmi Nothi virilis sexus legitima prosapia defecit. Stephanus Bononiẽsis comes, Henrici ex Adela sorore nepos, neglecta Mathilda Augusta Henrici filia, regnum præoccupat. xxxv

1136 Stephanus Rex. XXIIII. Ann. XIX. i.

Stephani Blesensis Comitis filius, Henrici Regis ex sorore nepos. viii. Calend. Decemb. A Guilielmo Cantuariensi Archiepiscopo Vuestmonasterij Rex coronatus.

1137 Ludouicus Crassus Rex Galliæ moritur. Succedit Ludouicus VII. Iunior dictus, annis XLIII. ii.

Rex Stephanus compositis in Normannia rebus, contra Scotos Mathildis Augustæ partes tutantes bellum mouet.

1138 iii

1139 iiii

1140 v

1141 Mathildis Augusta cũ auxiliaribus suorum copijs ex Gallia soluẽs, atq; ad Arundelliũ appulsa, contra Stephanum Regem in Anglia bellũ parat. Rex apud Lincolniam Mathildæ copijs congressus capitur, & Bristolium captiuus adducitur: pactis demum vtrinq; conditionibus, Roberti Glocestriæ Comitis permutatiõe (qui & ipse Mathildis sororis partes tutatus paulò post à Regis fautorib. captus est) Rex libertati, & regno restituitur. vi

1142 vij.

1143 viii.

1144 Henricus Mathildis Augustæ filius, defuncto Gaufredo patre Andegauensem principatum consecutus, collecto suorum exercitu, in Angliam traijcit, matri cõtra Stephanum Regem opem laturus. ix.

1145 x.

1146 xi.

1147 xii.

1148 xiii.

1149 xiiii.

1150 xv.

1151 xvi.

1152 xvii.

1153 Pax cum Mathilda, & Stephano Rege post diutinam contentionem ijs conditionibus transacta, vt ipse Stephanus, dum viueret, Rex haberetur, mortuo autem, Henricus Mathildæ filius Regnum obtineret, Normanniamq; interim possideret. xviii.

Aleonora Guilielmi Aquitaniæ Ducis, & Pictonum Comitis filia, à Ludouico Gallorum Rege repudiata, Henrico Andegauensi Mathildis Augustæ filio nubit, ad quem inuito Gallorum Rege priorem attulit dotem, Pictones & Aquitaniam, quod deinceps perpetui belli seminariũ fuit inter Gallos & Anglos.

4 Stephanus Rex moritur. viij. Calend. Nouemb sepultus ad Feuersamum in Cantio, cœnobio quod ipse ædificauerat. Succedit Henricus Normãniæ, et Aquitaniæ Dux, Andegauensium, Pictonumq; Comes. xiij. Calend. Ianuarij à Theobaldo Cantuariẽsi Archiepiscopo, Vuestmonasterij sacratus. Hoc ipso item anno obijt Guilielmus Eboracensis Archiepiscopus, postea inter diuos relatus. xix.

1155 Henricus Secundus Rex XXV. Ann. XXXIII. Henrici primi ex filia nepos. i.

Cumbriam, Northumbriamq;

Mathil-

Ann. Christi. Ann. Regni.

Mathildæ matris permissu, à Scotis aliquandiu possessam, recipit, & Regem eorundem Huntigtoniæ comitatu donat.

Vuallos subactis eorum regulis domat.

Hoc ipso anno defuncto Romæ Anastasio quarto, Nicolaus Albanus Antistes, homo Anglus, Hadriani quarti appellatione in Pontificatu succedit annis .iiij.

1156 ii

1157 iii

1158 iiii

1159 v

1160 Hadrianus. IIII. Pont. moritur. Succedit Alexãder. III. Senensis. vi

1161 vij

1162 viii

1163 Rex Henricus dotali iure Tolosatem comitatum à Raimundo repetens, Ludouici Gallorum Regis arma in se concitat: pax tandem inter Reges facta, Margarita Ludouici Regis filia, Henrici filio desponsata. ix

Theobaldus Cantuariensis Archiepiscopus obijt: ab Innocentio secundo pontifice Romano, primus legati nati titulo, cum pallio donatus. Succedit Thomas Beketus, postea Martyr futurus.

1164 Thomas Cantuariensis Archiepiscopus Ecclesiastica iura defendens, à Rege in exilium actus, Senone in Gallia apud Alexandrum tertium Pont. Romæ de iniurijs conquestus, ad Pontiniacum cœnobium se contulit. x

1165 xi

1166 Mathildis Augusta moritur: Rex xii

1167 Gaufredo filio dotali iure Britan- xiii

1168 niæ hæreditatem creuit. xiiii

1169 xv

1170 Rex Henricum filium in Regni societatem adscitum, Londini à Rogerio Eboracensi Archiepiscopo (absente tum Cantuariense, cuius id muneris fuerat) xvij. Calẽ. Iulij in Regem coronãdum curat. De qua iniuria Thomas Cantuariensis apud Alexandrum pontificem cõquestus, ita eum mouit, ut is Eboracensi & alijs, qui istiusmodi coronationi interfuissent sacrorum administratione interdixerit. xvi

1171 Thomas Cantuariensis, septimo exilij sui anno, reconciliato, ut putabatur, Rege, in Angliam reuersus, iiij. Calend. Ian. cõiuratorum gladijs in templo confossus, occiditur, ab Alex. pont. postea Martyrũ catalogo adscriptus. xvij.

1172 Rex per legatos apud Alexandrum pontif. se de Cantuariensis nece purgat, & Hybernicam expeditionem, eiusq́ insulæ dominiũ, ex eiusdem Pontificis authoritate sibi dari postulat. viij.

1173 xix.

1174 Alexandri pontificis legati duo causam de Cantuariensis nece cognituri in Angliam aduenіunt, Rex iureiurando factum suum purgauit, in hoc tantùm se peccasse fassus, quòd ex eius in Cantuariensem simultate, alijs perpetrandi facinoris occasionem dedisset, ad quam culpam eluendã, expiandamq́, ducentos milites ad sacrũ bellum in Syriam suis sumptibus se missurũ recepit, ac semel intra trienniũ eius expeditionis socium cum alijs principibus subsecuturũ. Quin et legem tulisse dicitur, qua perpetuò cautum esse voluit, neminem posterorum Regum in Angliam regiũ nomen, insigniaq́ deinceps gesturum, nisi quem Romanus pontifex ritè iussisset, designassetq́. xx.

1175 Rex Henricus Iunior cum fratribus, Ludouico Gallorum Regi obsequentes, à patre deficiunt, & coniunctis armis Normanniam, Aquitaniam, atq́ Britãniam, inuito patre, in suam ipsorũ potestatem redigunt.

1176 Gulielmus rex Scotiæ, Henrici filiorum in patrẽ discordia fretus, Anglicos fines hostiliter ingressus, ad Alneuicum oppidum cæsis ac profligatis suis omnibus in pugna capitur. xxij.

1177 Pax hoc anno inter Regem & filios composita, cũ Ludouico Gallorũ rege affinitas renouata. Adela Galli filia Ricardo Henrici filio desponsata. Scotus cum soluendo non esset, quatuor munitissimis x iij.

Ann. Christi. Ann. Regni.

Castellis pro redemptione traditis, in regnum restituitur.

1178 Hugo Cardinalis Alexandri pontificis Legatus, in Angliam uenit ad componendas controuersias inter Cantuariensem & Eboracensem Archiepiscopos, de primatu inter se contendentes. xxiiii

1179 Aldredus Vigorniensis Episcopus circa hæc tempora Glocestriæ cœnobium Benedictinorum condidit, illudq́ Apostolis Petro & Paulo dicauit. xxv

1180 Ludouicus Gallorum rex, voti causa D. Thomæ sepulcrum Cantuariæ inuisit, & à Rege honorificè accipitur, in Galliam reuersus moritur, cui succedit PHILIPPVS AVGVSTVS annis xliii. xxvi

1181 Rex Henricus Iunior repentina morte obijt, Margarita uidua Philippo Gallorum regi fratri reddita, ac Belæ Pannoniorum regi paulo post nupta. xxvii

1182 xxviii

1183 Heraclius Patriacha Hierosolymitanis auxiliũ pro re Christiana in Syria postulaturus, in Angliam aduenit, sed parũ benignè à Rege acceptus, frustrata spe dimittitur. xxix

1184 xxx

1185 xxxi

1186 xxxii

1187 Gaufredus Dux Britanniæ, Lutetiæ moritur, relicta uxore Constantia grauida, quæ mox Arthurum parit. Capta à Saracenis Hierosolyma anno lxxxix. posteaquàm à Christianis ducibus recepta fuerat. xxxiii

1188 Reges, Gallus & Anglus, Idib. Ian. in Velocassibus in colloquium ueniunt, ac de Hierosolymitana expeditiõe decernũt: mox, rupto fœdere, Ricardus Angli filius, relicto patre, Gallorum partes sequitur. Rex Gallus Cenomanos et Turones occupat, cuius rei ira, & indignatione, Henricus xxxiiii

1189 Angliæ rex pridie nonas Iulias, Chinone in Normannia moritur: ubi & sepultus est. Normãnorũ in Anglia rex ultimus Ricardus, restitutis sibi, quas Gallus patri ademerat, urbibus, ad regnũ in Angliam traijcit. iii. Nonas Septembris, à Balduino Cãtuariēsi Archiepiscopo Londini Rex coronatus. xxxv

1190 RICARDVS PRIMVS REX. XXVI. ann. X. A magnanimitate, Cœur de lion, dictus. i.

Londinenses magno auri pondere, in sacri belli sumptus, Regi oblato, honoribus, & dignitate augẽtur, libera urbis administratione Prætoris, & consulum potestati permissa. Henricus Aluini primus Prætor, Consules, Petrus Ducas, et Thomas Neellus creati.

Reges, Gallus & Anglus, vt antea inter se constitutum fuerat, ad Hierosolymitanam expeditionem se parant. Gallus cum classe Genuã præcessit. Ricardus Massilia soluit: uterq́, in Siciliam mẽse Augusto appulère, ubi & hyemare coacti sunt.

1191 Ricardus Rex Sicilia soluens, ui tempestatis in Cyprum eiectus, Tyrannum, à quo littoribus arcebatur, et insulam bello cepit, præsidioq́, firmauit, illinc ad Philippum Gallorum Regem profectus Ptolomaida obsidentem, quam paucis post diebus coniunctis copijs expugnauit: mox suborta inter Reges discordia, Philippus relicto Odonæ Burgundiæ Duce copiarum suarum præfecto, in Galliam redijt, Ricardus in Syria remansit. ii.

1192 Ricardus Rex Hierosolymitani regni permutatione, Cypri regnũ Guidoni Lusigniano vẽdit, quod ad nostra ferè tempora seruarunt eius posteri, quoad illic imperare cœperũt Veneti: & hinc factum, vt Hierosolymitani regni titulum Angliæ Reges aliquãdiu gesserint. iii.

1193 Ricardus domesticorum suorum in Anglia conspiratione, & Philippi Gallorum Regis simultate, rem Syriacam deserere coactus, domum rediens in Germania à Leopoldo Austriæ Duce intercipitur, vt Henrico Imperatori, in veteris odij ad Ptolomaidis expugnationem iiii.

Ann. Christi. Ann. Regni.

tionem inter se concepti uindictā
traditus, frustra intercedente pro
eo Celestino pontifice Romano, in
uincula conijcitur.
1194 Rex Ricardus centum quadra v
ginta millibus marcarum pro re-
demptione persolutis, Henrici Im
peratoris custodia liberatus, in An
gliam rediit.
1195 vi
1196 Bellum inter Gallos et Anglos vii
uario utrinq. euentu renouatum.
11 7 viii
1198 Rex Othonem Saxoniæ Ducem ix
ex sorore nepotem contra Philip-
pi Henrici defuncti Cæsaris fra-
trem, grandi pecunia ad imperiū
iuuat.
1199 Rex in obsidione Calaci oppidi x
in Lemouicū finibus, uti ingens
thesaurus latêre putabatur, cata
pulta ueneno illita percussus, in-
teriit, viii. Id. Aprilis, nullo ex se
prole suscepto, sed Arthuro Bri-
tanniæ Duce ex Gaufredo fratre
nepote, hærede prius designato.
Cadauer ex suo ipsius testamento
triplicis sepulturæ traditum: cor-
pus ad patris pedes, quòd in eun-
dem rebelli animo fuerat: cor Ro-
thomagi, quam urbem unicè sem
per coluit, reliqua intestina Pi-
ctonum terra, ut suo Principi in-
grata, recōdi uoluit. Variantibus
deinde optimarum in Gallia suf-
fragijs, qui Arthurū adhuc pue-
rum Britanniæ regno præferen-
dum censebant, Ioannes Morito-
nij Comes Ricardi frater, popula
ri largitione, & potentia praua-
lens, in Angliam traijcit, & Re-
giam coronam Lōdini sumit. vij.
Calend. Iulij.
1200 IOANNES REX. XXVII. i.
Ann. XVII.

Pax inter Ioannem & Philip-
pum Galliæ Regem, Blanca Al-
fonsi Regis Castellæ filia, Ioannis
Regis ex sorore nepotis Ludouico
1201 Philippi filio, in uxorem data. ij
1202 Ioānes Rex Arthurum Britā- iiii
niæ Ducem, Gaufredi fratris filiū
quo cum contēdebat, & qui iam
magnas uires in Pictonensi agro
acquisierat, bello opprimit, eūq.
aliquādiu in custodia asseruatū,

Ann. Christi. Ann. Regni.

necari iubet. Gallus Anglum per
sequi, Arthuriq. necem ulcisci co
1203 natur. iiii.
1204 Normannia tota à Gallis recepta v.
annis. cclx. postquàm Rollo pri-
mus Dux eandem occupauerat.
Et Ioannes Rex ab uniuersa pe-
nè quam in Gallia habebat, pos-
sessione depulsus.
1205 vi.
1306 Hugo Linconiensis Episcopus vii.
Carthusiensium ordinis mona-
chus sanctiss. obijt, postea inter di
uos relatus.
1207 Otho. IIII. Germanorū impe- viij.
rator in Angliā uenit, cui Gallis
bellum inferre parato, Ioannes
Rex ingētem pecuniæ summam
dedit. Rex ob multas iniurias cle
ro illatas, et quia neglecta Roma
ni Pontificis authoritate, Stepha
num Cardinalem ad Cantuariē
sem Archiepiscopatum ab Inno-
centio. iij. Pōtifice electum, reci-
pere nollet, Ecclesiæ hostis iudica
tur, & sacris interdicitur.
1208 ix.
1209 x.
1210 xi.
1211 xij.
1212 Innocētius. III. Ro. Pont. Ioan xiij.
nem Regem in sacra, profanaq.,
nullius ordinis, aut ætatis ratione
habita, desæuientē, misso Pandul-
pho uiro clarissimo, graui denun
ciatione regni administratione
submouet: qua re territus Ioānes
quòd à suis Episcopis, Principi-
bus, popularibusq. destitueretur,
inuitus ad sanitatē rediit, Ponti-
ficemq. agnouit, ac graui iureiu-
rando sponsionem fecit, se Ponti-
ficis arbitrio staturū, posterosq.
Reges idem facturos, ut se dein-
ceps Romani Pontificis beneficia
rios perpetuò agnoscerent.
1213 xiiij.
1214 Nicolaus Tusculanus Cardinalis xv.
Legatus in Angliā missus. iij. Ca-
lend. Iulij, interdictū, quo antea
Anglia per sex annos, mēses tres
ac dies duodecim obstricta teneba
tur, publica authoritate sustulit.
1215 xvi.
1216 Regni optimates Ioānis Regis xvij.
tyrannidem pertæsi, contra eun-

Ann. Christi. Ann. Regni.

demi arma capiūt. Ludouicus Phi
lippi Gallorum Regis filius ab eis-
dem in spem regni vocatus, iure-
iurando, obsidibusq́; acceptis in
Angliam traÿcit. Rex suis omni
bus inuisus, dum ad monasteriū
Suineshed diuertisset. xiiÿ. Calēd.
Nouembr. veneno sublatus est,
monacho id illi propinante, quo
& ipsemet, vti fertur, vnà cum
Rege perÿt. Corpus Vigorniæ se-
pulturæ traditum. Principes, ne-
glecto Ludouico, Henricum pue-
rum Ioannis defuncti filium, Re-
gem consalutant.

1217 HENRICVS Tertius Rex. i.
XXVIII. Ann. LVI.
XVI Calend. Iulÿ à Vintoniē
si, & Bathoniensi Episcopis, præ-
sente Romani Pontificis Legato,
nouē annos natus, Rex coronatur,
& Henrici Vintoniensis Episco-
pi tutelæ committitur.

1218 *Ludouicus Philippi Gallorum* ii
Regis filius, post longam alterca-
tionem, conuentione facta, acce-
ptaq́; pecunia, in Galliam se reci-
pere cogitur.
Vallo Pontificius Legatus Ro-
mam reuertitur, & Pādulphus,
qui Innocentÿ Pontificis manda-
ta ad Ioannem Regē detulit, Nor
douicensis fit Episcopus.

1219 *Rex ab Honorio Pontifice Ro-* iii
mano rogatus in Christianorum
subsidium, Asiatico bello, Ratinul
phū Cestriæ Comitē copÿs præfe-
ctum, ad Damiatæ obsidionem
mittit.
Pupillorum sub Regis tutela e-
ducandorū, quos Vardas vocāt,
hoc tempore prima institutio.

1220 *Rex sublatis vndiq́; factionib.* iiii
populi ac Principum iussu iterum
coronatur.
Hoc ipso anno corpus D. Tho-
mæ Martyris solenni ritu trans
latū, & Hugo Lincolniensis quō
dā Episcopus inter sanctos relatus.

1221 v

1222 vi

1223 vii

1224 *Philippus Rex Galliæ moritur,* viii
Succedit Ludouicus iiÿ. annis
iÿ.

1225 *Ioannes Brennus Hierosol. Rex* ix
ingenti pecunia à Philippo Gallo-
rum Rege, ex testamēto donatus,
in Angliam traÿcit. Honorificè à
Rege acceptus, indeq́; in Hispaniā
soluēs, D. Thomæ martyris sepul-
chrum Cātuariæ inuisit, cui qua-
tuor maximi precÿ sapphiros vt
in ornamentis essent, obtulit.

1226 *Leuia aliquot prælia inter Gal-* x
los & Anglos in Aquitania. Con
cilium Londini, quod Parliamen
tum vocant, in quo multæ leges,
magnæ chartæ, & de Foresta di-
ctæ promulgantur.
Otho Cardinalis Honorÿ. III.
Pontificis Legatus, decimas in sa
crum bellum imperat.

1227 *Rex, instigante Petro Britanniæ* xi
Duce, mēse Martio cum classe in
Galliam traÿcit, indeq́; paulò post
nulla re memorabili gesta, in An-
gliam redÿt.
Rex Arragonensem Regem in
Hispania contra Afros, Anglico
milite iuuat.
Ludouicus VIII. Rex Galliæ
moritur. Succedit D. Ludouicus
filius, annis XLIII.

1228 xii

1229 xiii

1230 xiiii

1231 xv

1232 xvi

1233 xvii

1234 *Regni Principes nimio tributo* xviii
oppressi, à Rege secessionem faci-
unt, quos tandem Rex armis de
positis benignitate mitigat.

1235 *Guilielmus puer apud Nordo-* xix
uicum, à Iudæis cruci affixus.
Isabella Regis soror, Federico
II. Imperatori nuptui datur.

1236 *Rex Aleonorā Raymundi Co* xx
mitis Prouinciæ filiam in vxorē
ducit

1237 *Otho Cardinalis à Gregorio IX.* xxi
Pont. Legatum in Angliā redÿt:
sacerdotum conuentum Londini
celebrat, & ad Asiaticum bel-
lum, quod D. Ludouici Gallorū
Regis auspicÿs postea gestum est,
sacrorum decimas imperat.
Rex Aleonorā sororem Simoni
ex Mōteforti collocat, dotisq́; no
mine Lecestriæ Comitatu donat.

1238 *Edouardus Princeps nascitur.* xxii

&

Ann. Christi. Ann. Regni.

& ab Othone Pōtificis Legato ba-
ptismate perfunditur.

1239 xxiii

1240 Edmundus Archiepiscopus Can- xxiiii
tuariensis corruptos sui seculi mo-
res in Principe, & clero detesta-
tus, D. Thomæ Canturariensis exē-
plum secutus, Pontiniaci cœnobio
in Gallia exul moritur, ab Inno-
centio IIII. Pont. Diuorum cata-
logo adscriptus.

Richardus Regis frater cū clas-
se ad Christianorum auxilium in
Syriam proficiscitur.

1241 Rex subactis Vualliorum regulis, xxv.
Vualliam suo imperio subiicit.

1242 Rex Hugonis Marchiæ Comitis im- xxvi.
pulsu, cui mater nupta fuerat,
sumpta in Galliā expeditione, sed
nullo interim cōfecto negotio, pa-
ctis in quinquenniū induciis, pau
lò post in Angliam rediit.

1243 xxvii.

1244 xxviii.

1245 xxix.

1246 xxx.

1247 xxxi.

1248 xxxii.

1249 Concilium Parliamēti Londi- xxxiii.
ni, pecuniæ colligendæ causa à Re-
ge coactum, in quo decretum, ut
nummus argenteus, quem Gros-
sum uocant, certo pondere excu-
deretur, utq; ex una quidem parte
regii capitis effigies, ex altera crux
ad extremas eiusdem nummi par-
tes producta imprimeretur, ne
fraus ex diminutione fieret: Ster-
lingorum itē, ut uocāt, uel à Stur
ni auiculæ, uel à stellæ nota, hoc tē-
pore prima percussio, unius unciæ
argenti pondere.

1250 xxxiiii.

1251 xxxv.

1252 xxxvi.

1253 xxxvii.

1254 Rex cum exercitu in Aquita- xxxviii
niam traiicit, & eādem tumultu-
antem pacat.

Edouardus Vualliæ principatu
à patre donatus, Aleonoram Al-
fonsi Castellæ regis sororem in uxo
rem accipit.

1255 Rex à Ludouico Gallorum re- xxxix
ge Lutetiæ magnifico apparatu
acceptus, in Angliam rediit.

Ann. Christi. Ann. Regni.

1256 xl.

1257 Suborta post Federici II. Impe- xli.
ratoris mortem, inter Germanos
Principes de eligendo Imperatore
controuersia, ac Guilielmo Holan
diæ Comite Romanorum rege de-
clarato, à Frisonibus interfecto,
ad Alfonsum Castellæ regem, & Ri
cardum Cornubiæ Comitem Hen-
rici Regis fratrem, lis de Imperio
deducta, sed neuter, ut nōnulli tra
dunt, in imperio confirmatur. Cæ-
terùm Anglici annales asserūt, Ri
cardo Imperatori creato Aquis-
grani Coloniensem Antistitem dia
dema imposuisse, & eius filium
Edmundum paulò ante hæc tempo
ra mortuo Federico, ab Innocētio
IIII. pont. Rom. in Manfredi ty-
rannidis ultionem, ad Siciliæ re-
gnum euocatum.

Christi sanguinis particula ad
Haylense cœnobium circa hæc tem
pora, ut à nonnullis asseritur, ab
Edmundo Ricardi Imperatoris de
signati filio, deportata, & nouæ
religionis institutum, bonorum ho
minum, ut vulgus appellat, eo-
dem authore, in Asherugium cœ-
nobium, quod idem ædificauerat,
introductum.

1258 Oxonii Principum cōuentus, in xlii.
quo decernitur vt Pictores oēs,
quorum ingens numerus in An-
glia, cum cæteris alienis extermi-
narentur, vtq; Rex ipse antiqua-
tas leges nonnullas, dato ad id iu
ramento, in pristinam formam po
pulo restitueret.

Rex in Galliam traiicit, & cū
Ludouico Rege iis conditionibus
pacem facit, vt Gallus Norman-
niam cum Andegauēsibus, ac Ce-
nomanis obtineret, & Anglo pro
bellorum impensa, millia aureorū
centū & quinquaginta, ac singu-
los annos dena millia tributi no-
mine persolueret: Anglus Aquita-
niam à Septentrione Caranto Flu
mine, & à Meridie Pyreneo mōte
terminatā possideret. iis peractis,
Rex in Angliam rediit.

1259 Optimates regni contra regem xliii.
quòd is Oxoniensis concilii decre-
tis stare nollet, ciuile bellum trien
nio excitant.

Ann. Christi.		Ann. Regni.
1260		xliiij
1261	Pugna iuxta Leuisium oppidum in Cantio, in qua rex cum Ricardo fratre, & Edouardo filio à nobilibus capitur. Edouardus ex hostiū manibus elapsus, commisso apud Eueshamum prælio, Simonem à Monteforti, popularis belli ducem, uirum strenuum, ac fortem acie occīdit, patremq́ ex hostium potestate eripit.	xlv
1262	Othobonus à Flisca Cardinalis, ab Vrbano IIII. Pontifice Romano ad sedādos ciuiles tumultus Legatus in Angliam missus, à Londinensibus in carcerem conijcitur, mox tamē liberatus, & nobilium plerique regi reconciliati.	xlvi
1263		xlvij
1264		xlviij
1265		xlix
1266		l
1267	Rex concilium ad Marlebrigium in Vilceria conuocat, in quo leges aliquot antea latas confirmat. Edouardus Vualliæ Princeps, classe in Asiam traiicit, & Ludouicum Galliæ regem belli commilitonem expectans Ptolemaide, ab Arsacida quodam (ita enim Saraceni sicarium uocant) pugione petitus, tribus vulneribus acceptis, ægrè mortis periculum euasit.	li
1268		lij
1269		liii
1270	D. Ludouicus rex Galliæ moritur: Succedit Philippus filius, ann. XV.	liiii
1271	Henricus Ricardi Cæsaris filius, Henrici regis nepos, Syriaco bello reuersus, Viterbii dum sacris interesset, à Guidone Simonis Montifortensis Comitis filio, in patris sui ciuili bello in Anglia interfecti ultionem, occiditur.	lv
1272	Rex Lōdini moritur xvi. Calēd. Decembris, Vuestmonasterii sepultus: Filios reliquit Edouardū Vualliæ Principem, & Edmundum Lācastriæ Comitem, à quibus Rosæ albæ, & Rosæ Rubeæ, quæ istorum familiæ insignia fuere, apud posteros factionum nomina.	lvi

Ann. Christi.		Ann. Regni.
1273	Edouardus Primus Rex XXIX. Ann. XXXV. Henrici primi filius, quintum & trigesimum ætatis annum agēs, defuncto patre, magno populi applausu Rex coronatus.	i
1274	Robertus Cantuariensis Archiepiscopus à Gregorio X. Pontifice Rom. Cardinalis, & Portuensis simul Episcopus designatus, Cantuariensi Archiepiscopatu se abdicat. Thomas Herefordensis Episcopus, uitæ sanctitate clarus, intra diuos relatus.	ii
1275		iii
1276		iiii
1277		v
1278	Rex Parliamenti cōcilium Vuestmonasterii celebrat, in quo decretū, ut sacerdotes criminis conuicti, ad Episcoporum tribunalia sisterentur.	vi
1279	Rex Vuallos semel atque iterum rebellantes domat, cæsis Leolino	vii
1280	& Dauide regulis.	viii
1281		ix
1282		x
1283		xi
1284	Rex circa hac tempora cœnobiū monachorum Cistercensium in co-	xii
1285	mitatu Cestrensi condidit, cui ob loci pulchritudinem regiæ Vallis nomen indidit. Guilielmus Martenus Anglici Regni (ut uocant) cancellarius, Oxonii collegium studiorum causa instituit, cui Mortono nomen inditum. Rex in Galliam profectus, Burdegalensium conspirationem sustulit. Rex inter Gallum & Aragoniū, de Siculi regni iure litem dirimit, & Hērici patruelis apud Viterbiū interfecti necem uindicat, Guidone Anguillaria Comite perpetuis carceribus in Gallia addicto. Alexander III. Rex Scotiæ equi insolentia in terram deiectus, ceruice confracta, repentè periit. Regnum per interreges seu gubernatores administratum annis VII. Philippus Diui Ludouici filius Rex Galliæ moritur, succedit	xiii

Philippus

Ann. Christi. Ann. Regni

Philippus Pulcher rex annis XXVII.

1286 xiiii.

1287 xv

1288 xvi.

1289 Rex post triennium ex Aquitania in Angliam reuersus, concilium Parliamenti celebrat, in quo ex decreto, Iudæi omnes Anglia eiecti, & lex de sacrorum prouentibus lata, quam Manumortuam vocant. xvii

1290 xviii

1291 xix

1292 xx

1293 Scotis de rege inter se contendentibus, Ioannes Baliolus Haricuriæ in Gallia natus, regio sanguini proximus, Edouardi Angliæ regis authoritate, in cuius verba iurauerat, Scotiæ regno præficitur. xxi

Initium belli inter Gallos, & Anglos propter naues aliquot in Normannico littore interceptas. Burdegala & maxima Aquitaniæ pars ab Anglis deficit.

1294 Rex, Adolpho Germanorum Imperatore in suas partes pertracto, expeditionem in Galliam parans, Vuallorum & Scotorum rebellione impeditur. xxii

1295 Edmundus Lancastrius Regis frater, cũ exercitu in Aquitaniã missus, apud Baionam moritur. xxiii

Rex in Flandriam traijcit, vbi cum Philippo Gallorum Rege biẽnij inducias componit.

1296 Re conuocatis apud Eboracum Principibus, contra Scotos bellum decernit: Scoti in Northũbriã grani occisione fusi, fugatiq; Edinburgum, Fanum Ioannis, vrbes expugnatæ, & multò maxima Scotiæ pars à Rege subacta. Ioanne Baliolo rege in ordinem redacto, captiuoq;, datis terræ Scotiæ suo nomine præfectis, Rex victor in Angliã redit. xxiiii

1297 Scoti, Valla & Brusio ducibus prõ recuperanda patriæ libertate, fortiter contra Anglos pugnant. xxv

1298 Aleonora Regina moritur. xxvi

Pax inter Philippum Galliæ, & Edouardum Reges: Aquitania Anglo restituta, & Margarita Philippi soror, Edouardo regi desponsata.

Rex ad Varium castellum Scotos ingenti clade afficit.

1299 Ioannes Baliolus Rex Scotiæ Bonifacio IIII. Pontifice Romano postulante, Anglica custodia liberatur, & paulò post in Gallia moritur. xxvii

1300 xxviii.

1301 Rex ad fanum Andreæ conuocatis Scotiæ regni Principibus, et antiquatis Scotorum legibus, sua eisdem instituta promulgat. xxix.

Isabella Philippi pulchri Gallorũ Regis filia, Edouardo Vualliæ Principi nupta.

1303 xxx.

1304 xxxi.

1305 xxxij.

1306 Scoti in libertatem sese vendicãtes, Robertum Brusium sibi Regem dicunt. Edouardus Vualliæ Princeps à patre in Scotiam mittitur. Apud Duncheldinum (vbi olim Calidoniæ castrum) Scoti fusi fugatiq;. xxxiiij.

1307 Edouardus Rex Carbeoli in Scotorum finib. moritur, Nonis Iulij corpus à militibus Londinum deportatum, ad Vuestmonasterium sepulturæ datur. xxxv.

1308 Edouardus secundus Rex xxx. Ann. xix. i.

Edouardi primi filius, à Vualliæ castro, vbi natus est, Caernaruanus dictus. x. Cal. Martij vnà cum Isabella coniuge, Philippi Pulchri Gallorum Regis filia, Vuestmonasterij Rex coronatus.

1309 Rhodos insula hoc anno, Turcis expulsis à Christianis Ducibus ij.

1310 expugnata: Rege in omnem vitæ iij.

1311 mollitiem, luxumq; prolapso. iiij.

1312 Concilium Principum in Anglia Roberto Cantuariensi Archiepiscopo authore coactũ, in quo sumpto de Petro Ganestone supplicio, de coercendis Regi malorum consiliorum authoribus, & de regni statu reformando agitatum. v.

1313 Philippus pulcher Rex Galliæ moritur, succedit Ludouicus Hutinus annis II. vi.

Ann. Christi. *Ann. Regni.*

1314 *Rex contra Scotos cum magna suorum strage, apud Sterlyngium infeliciter pugnat.* vij

1315 viij

1316 *Ludouico Hutino defuncto, succedit Philippus Lõgus Rex annis V.* ix

Ioannes XXI. *Rom. Pontif. Scotum, & Anglum per Legatos pacare studet. Scoti Breuicum recipiunt, & diuersis prælijs Anglos vincunt.*

1317 *Hugones Spenserij, pater & filius, Regi malorũ consiliorum authores, reliquorum principum authoritate proscripti.* x

1318 xi

1319 xij

1320 xiij

1321 *Defuncto in Gallia Philippo, succedit Carolus Pulcher, Rex. ann. VII.* xiiij

Rex receptis in gratiam Spenserijs, alterius factiõis Princeps persequitur, quorum pleriq; in pugna capti, ac iubente Rege interfecti, & inter hoc in primis Thomas Lãcastrius Regis patruelis summa integritate, & innocentia obtruncatus.

1322 xv

1323 *Rex commisso cum Scotis prælio, profligatur. Scoti, Anglicos agros Eboracum vsq; vastant.* xvi

Ga i maximã Aquitaniæ partem occupant, sed Isabellæ Reginæ interuẽtu, & filio Edouardo Vualliæ Principe, Caroli Regis beneficiarium se profitente, renouatum fœdus, & Aquitania tota Anglo reddita. Induciæ cum Scotis in annos tredecim.

1324 *Henricus Stantonius illustris eques, per hæc tempora Cantabrigiæ magnificas ædes in vsum studiorum, diuo Michaeli Archangelo dedicatas, excitauit.* xvij

1325 *Isabella regina infesto erga maritum Regem animo, Ioannis Hanoniæ Comitis subsidio, vnà cum Edouardo filio ex Gallia in Angliã appulsa, sumpto de Spenserijs supplicio, maritum Regem in suam potestatem redigit, eodemq; Regia authoritate priuato, & in carcerem tradito.* xviij

Ann. Christi. *Ann. Regni.*

1326 *Edouardum filium quatuordecim annos natum, habito ad Vuest monasterium concilio, quarto Calendas Februarij Regno præficiendum, coronandumq; curat.* xix

Gualterus Stapyltonus Exoniẽsis Episcopus hoc ipso anno, qui Lõdinensi ciuitati præerat, in Isabellæ aduentantis gratiam, à furenti populo, deturbato præsidio cum nonnullis alijs, qui Edouardi secũdi Regis rebus studebant, in publico foro securi percutitur. Huius opera duo egregia Oxonij in studiorum gratiã collegia adhuc extãt, quorum alterum Exoniense collegium, alterum Ceruina aula nuncupatur.

1327 *Edouardus Tertius Rex* XXXI. *Ann. L I. Sub Isabellæ matris, & optimatum tutela Regnum gubernat.* i.

Ioannes Hannonius Comes, qui Isabellæ Reginæ egregiam operam nauauit, magnis muneribus donatus, ex Anglia discedit, cuius filia Philippa, mox Edouardo Regi nubit.

Edouardus Rex abdicatus, in Barkeleiensi arce moritur, siue, ut nonnulli tradũt, à custodib. necatur.

1328 *Carolus Pulcher rex Galliæ, sine prole moritur, cui succedit Philippus Valesius trium superiorum Regũ patruelis, vnde disceptatio inter Anglum, & Gallum de Gallici Regni iure, quod materna hæreditate Anglus sibi vendicare conatur.* ij.

Scotis pax data, & Ioanna Edouardi Regis soror Dauidi Scoto puero desponsa.

1329 *Reges Gallus & Anglus, Ambiani conueniunt.* iij.

Cleri cõuentus Londini, in quo Exoniensis Episcopi interfectores damnati.

Principum cõuẽtus Vuintoniæ in quo Edmundus Cantij Comes regis patruus, quòd abdicato Edouardo fratre, de eius restitutione conspirasset, capite damnatus.

Robertus rex Scotiæ moritur, cui succedit Dauid puer Regno per interreges, siue gubernatores administrato.

Edo-

Ann. Christi. Ann. Regni.

1330 Edouardi Principis natalis. iiij
1331 v
1332 vi
1333 Edouardus Balioli filius adiuuantibus Anglis paternum Regnum in Scotia obtinet. Dauid puer cum Ioanna uxore, à suis in Galliam ablegatur. Edouardus Angliæ Beruicum expugnat, & magnam Scotiæ partem unà cum Baliolo inuadit. vij
1334 viij
1335 ix
1336 Intercedente Benedicto. XII. Pontif. Rom. Dauid Rex Scotiæ Regno restituitur. Baliolus Scotiam deserere cogitur. x

Londini Parliamenti concilium in quo decretũ, nec cui aurum, argentúmue in continentem absque priuilegio exportare liceret.

Principibus item noui honores delati.

Initium maxini belli, quod Angli cum Gallis per plures deinceps annos gesserunt. Robertus Comes Attrebatensis cùm litem amisisset, quæ illi erat cum Mathilda Burgundionis uxore; ob id cum Philippo Valesio Gallorum Rege inimicitias exercens, ad Angli partes se recipit, à quo honorificè est acceptus, & Richemondiæ Comitatu donatus. Frossartus Gallus horum temporum Historiam copiosissimo uolumine scribit.

1337 Benedictus Rom. Pontifex Gallum, & Anglum per Legatos pacare conatur. xi

1338 Edouardus Rex, ascitis in belli societatem Flandris, & imperii uicarius à Ludouico Bauaro constitutus, cum ingenti classe in Flandriam traiicit, atq; ad Somam fluuium in Galliæ finibus, cõtra Philippum copias educit: sed prælio abstinente Philippo, Edouardus Flãdriã repetit, indeq; Iacobi Arteuillæ Flandriæ præfecti consilio, liliorum insigni, & Regis Franciæ titulo assumptis, rursum in Angliam redit. Guilielmus Sarisbiriensis, & Robertus Suffolciæ Comites, in exercitu præfecti relicti. xij

Hoc ipso anno Philippa Regina Leonellum filiũ Antuerpiæ parit.

1339 Guilielmus Sarisbiriensis Comes, in Insulæ oppidi oppugnatione à Gallis captus, Lutetiam adducitur. xiij.

1340 Pugna naualis atrox ad Clusas IX. Calend. Iulii, in qua Edouardus rex sua felicitate, & uento secundo adiutus, ceptis ac fractis omnibus ferè Gallorum nauibus, uictor euasit. xiiij.

Fanum Odomari, & Tornacũ ab Anglo obsessi.

Induciæ inter reges factæ, & captiui utrinque redditi.

1341 Edouardus rex Ioannem à Monteforti data ei in uxorem Maria filia, contra Carolum Blesensem bello in Britannia iuuat. Legatorum Papæ interuentu, induciæ in triennium extractæ. xv.

1342 xvi.
1343 xvij.
1344 xviij.
1345 xix.
1346 Edouardus rex Henricum Lancastrium in Aquitaniam mittit, ipse cum filio Vualliæ Principe, & numeroso exercitu Calendas Iulij in Constantiensem agrum exiit, & Cadomum expugnat. xx.

Pugna ad Cresciacum VII. Calendas Septembris sabbato ad uesperam, omnium famosissima, luctuosissimaq;, quæ Gallis unquam acciderũt, in qua omnis ferè nobilitas cecidit: occisi Ioannes Boemiæ rex, Carolus regis frater germanus Alenconii, Rodulphus Lotharingiæ Duces, Flandriæ, Aricuriæ, Blesensis, & Cæsariensis Comites. Desiderati ex omni numero circiter xxx. millia. Edouardus rex cum uictore exercitu, ad expugnandum Caletum contendit.

1347 Caletum tertio Nonas Augusti, undecimo obsidionis mense, Edouardo Regi deditur. Ciues incolumes dimissi, nobilibus aliquot ad capitis pœnam reseruatis, quibus regina grauida ueniam, uitamq; impetrauit. xxi.

fff 3

Ann. Christi. Ann. Regni.

1348 Dauid rex Scotiæ Angliam in- xxii
cursans, profligato ad Dunelmum
exercitu, capitur: Clementis sexti
Pontificis Legatorum interuentu
induciæ in duodecim menses cum
Gallis factæ, & arx Guina ab An-
glis interim occupata.

1349 Phililippus Valesius in Gallia xxiii
moritur. Succedit Ioannes Rex.
annis xiiij.

1350 Garteriorum summi ordinis e- xxiiii
quitum institutio.

1351 xxv

1352 xxvi

1353 xxvii

1354 xxviii

1355 xxix

1356 Edouardus Vualliæ princeps, xxx
uigesimumseptimum ætatis annũ
agens, Dux belli in Aquitaniam à
patre missus, in Pictonensi agro lo
co, cui nũc Belliuisius, & male pers
tusi nomen inditum, Ioannem Gal
liæ Regem collatis signis prælio ui-
ctum, cum Philippo filio capit de-
cimotertio Calendas Octobris: Cæ-
sa Gallorum circiter sex millia. M.
D. ex nobilibus capti, Rex ipse u-
nà cum filio ab Edouardo Princi-
pe humaniter, & honorificè tra-
ctati, & in Angliam traducti.
Carolus Delphinus elapsus Paris
sios se recipit.
Induciæ Gallis in bienniũ datæ.

1357 Dauid rex Scotiæ per annos X. xxxi
in Anglia captiuus, decem aureo-
rum millibus redemptus, in regnũ
restituitur.

1358 Isabella Regina moritur, Lon- xxxii
dini in Franciscanorum cœnobio
sepulta.

1359 Finitis induciis bellum in Gal- xxxiii
lia renouatum.
Edouardus Rex Caleto in Remo-
rum fines profectus, Parisiorũ &
Carnutũ uicina loca depopulatur.

1360 Pax inter Reges ad Britinia- xxxiiii
cum VIII. Id. Iulij, Ioannes rex
post quartũ, quàm captus fuerat,
annum, obsidibus datis, Caleti li-
beratur viij. Cal Nouembris.
Rex Vindesorium castrum nata
lem locum, magno ædificiorum ap
paratu instaurauit, ibiq; sacerdo-

Ann. Christi. Ann. Regni.

tum Collegiũ instituit, dotauitq;.
Edouardus Vualliæ Princeps,
à patre Dux Aquitaniæ creatus,
cum uxore Edmundi Cãtiæ Comi
tis filia, in Aquitaniam se cõtulit.

1361 Edouardus Rex quinquagesi- xxxv
mum ætatis suæ annum, Iubilei mo
re celebrat, condonatis maleficio-
rum pœnis, & priuilegiis aliquot
populo concessis, decretumq; in con
cilio tulit, ut causarum procurato-
res, & patroni posthac nõ amplius
Gallico, uel Normãnico, sed Anglo
idiomate, causas agerent.

1362 Caleti Anglorum colonia de- xxxvi
ducta.

1363 xxxvii

1364 Ioannes Galliæ Rex, ut de suis xxxviii
obsidibus liberandis trãsigeret, in
Angliam rediens, morbo præuen-
tus, Londini obijt VI. Calendas A-
prilis: succedit Carolus quintus di
ctus sapiens.

1365 xxxix

1366 Petrus rex Castellonensis in Hi xl
spania, Ab Henrico fratre Notho
Regno pulsus, Edouardi Vualliæ
Principis auxilio, inuitis Gallis in
Regnũ restituitur. Tres filiæ eius
pro belli impensa Anglo obsides da
tæ, succedentibus Gallorum auxi-
liis. Nothus bellum reintegrans,
fratrem occîdit, & regno potitur.

Simon Cantuariensis Archiepi
scopus obijt: Oxonij collegiũ, quod
Cantuariense dicitur, cõdidit. Hoc
ipso item anno, Guilielmus Vuy-
ckam Vintoniensis Episcopus Oxo
nij in rei literariæ gratiã collegium
excitauit, illudq; Diuæ Mariæ Vir-
gini dicauit, quod hodie Nouum
collegium nuncupatur.

1367 Bellum inter Gallos, & Ans xli
glos hoc anno rupto fœdere reno-
uatum. Aquitani ab Edouardo
Vualliorum Principe nimio tribu-
to oppressi, Armeniaco, & Petra-
gorico Comitibus authoribus, ad
Carolum Regem prouocant, Ioans
nes Lancastriæ Dux in Galliam
cum exercitu traijcit, sequẽti hye
me redire coactus. Pontiuienses

eiecto

eiecto Anglorum præsidio, post an-
nos centū ac duodecim, quàm do-
tis nomine in Edouardi primi po-
testatē venerant, Gallis se dedūt.

Philippa regina hoc ipso anno
moritur, extructo Oxonij magnifi
centissimo studiorum causa colle-
gio, quod nunc Reginæ collegium
appellatur.

1368 Leonellus Dux Clarentij Edouar xlij
di Regis secundogenitus, Medio-
lani cum Violante Galeatij primi
Ducis sorore nuptias celebrat, do-
mum rediens in itinere moritur;
Philippa filia vnica superstite, quæ
tertij dehinc prolis successione Ebo
racensi familiæ regni ius intulit.

1369 Robertus Carolus Anglus Caleto xliij
profectus, instructo exercitu per
Remorum, & Parisiorū fines iter
ingreditur, ut Principi in Aquita
nia aduersus eos, qui defecerant,
vix consistēti se cōiungeret. Angli
ad Ligerim palantes Gesquinate
Duce, à Gallis magna cæde in ca-
stra compulsi.

Vrbs Lemouicū ab Edouardo
Principe diripitur, atq; deletur.

1370 Dauid Rex Scotiæ sine virili pro xliiij
le moritur, cui succedit Robertus
Stuardus Dauidis ex sorore nepos.
Huius successio à fœmina inchoa-
ta, & ad sextum Regem deinceps
deducta, nostra iā ætate rursus in
fœmina desiit.

1371 Gesquinas Gallus, & Canolius xlv
Anglus uterq; militari stratagema
te insignis. Rupella à Gallis obside
tur. Ioannes Penbruchēsis Comes
cum quadraginta nauium classe
obsessis Rupellanis in auxilium mit
titur, sed interuētu classis ab Hen-
rico Castellonensi Regi in Gallorū
subsidium trāsmissæ, Angli amissa
classe, & Ioanne præfecto ab Hispa
nis capto, graui prælio occisi. Ioan-
nes Lancastrius Dux traducto per
Galliam exercitu, Gallos Rupellæ
obsidionem soluere coegit.

1372 xlvi
1373 xlvij
1374 Concilium Parliamenti Londi xlviij
ni habitum, in quo Rex exhausto
in Gallicum bellum ærario, tum
primum sacrorum redituum cen-
sum egit, ac decimas sacerdotibus
in belli sumptus imperauit, lege la
ta, vt Episcopi non amplius à sa-
cerdotum collegijs, ut anteà elige-
rentur, sed Romanorum Pontifi-
cū, Regumq́; arbitrio designati co
optarentur. Decretum insuper, ne
minora sacerdotia à Romano Pon
tifice impetrarētur, aut causæ nisi
per appellationem, ad eundem de
ferrentur, pœna legis violatorib.
indicta, unde postea lex Prouisio-
nis, siue de Premoneri, vt vocant.
Nonnulli hæc Ricardi secundi tem
poribus assignant.

1375 Ioā. Vuythclyffus hæresiarcha xlix
his temporibus emersit, qui Oxo-
niensis gymnasii censura publicè
damnatus, ad Boemos profugit.

1376 Ioannes Dux Lancastrius, & l
Edmundus frater, Ioanni a Mon-
teforti Britanniæ Duci cōtra Gal-
los pugnanti, in auxilium missi.
Ludouicus Andegauēsis cum Gal
lorum copijs pedem referre cogi-
tur. Romano Pont. authore indu
ciæ in duodecim menses cōpositæ.

Ioannes Penbruchēsis Comes,
nauali prælio ab Hispanis captus
redemptusq́;, dum in Angliam re-
dit, in itinere moritur. Huius v-
xor Maria è sancto Paulo Belgi
cæ Galliæ oppido, illustris fœmina
ad excitanda literarum studia Cā
tabrigiæ Musæum nobile extruxit,
quod nunc Penbruchensis Aula
vocatur.

Concilium Parliamenti Vuest-
monasterij, in quo tributum petē-
ti Regi à populo denegatum, &
Regij quæstores repetūdarum rei
comperti, supplicio affecti.

Edouardus Princeps tabe con
fectus, moritur VI. id. Iul. Annum
ætatis agens xlvi. sepultus Can
tuariæ, in templo maximo.

1377 Rex finitis inducijs, in Galliā li
expeditionem parans, morbo præ
uentus, interijt. xi. Calen. Iul. an-
no ætatis suæ lxv. sepultus Vuest-
monasterii. Richardus Edouardi
Principis filius, Burdegale in Gal

Ann. Christi. Ann. Regni

lia natus, undecim annorum puer xvii. Calend. August. coacto Principum concilio, Vuestmonasterij Rex coronatur, eius patrui Lancastrius, & Eboracēsis Duces, Regni gubernatores constituti. Bukyngamiensi Gallici belli cura delegata.

1378 Ricardus secundus Rex XXXII. Ann. XXII. i

1379 Edouardi Vualliæ Principis fil. ii

1380 Thomas Bukyngamiensis cū exercitu Caleto profectus, Galliā incursat, inde in Britanniam trāsiit, quam in Ioannis à Monteforti ducis sui fidē uenire compulit. Schisma inter Vrbanum VI. & Clementem Pontifices, tractata Gandaui pacis consilia dirimit. iii

Carolus Quintus Rex Galliæ moritur. Succedit Carolus VI. Rex annis xlij.

1381 Cōcilium Parliamenti Vuestmonasterii: Graue tributū in singula ciuium capita impositū. Cantiani, Strauo & Tylerio plebeis Ducibus, ciuilem tumultum excitant, Simonem Cantuariensem Archiepiscopum, Halisium Rhodianorum collegii præfectum, & Ricardum Carmelitanum, Regi à confessionibus, securi percutiunt: Londini urbem diripiunt. Strauo dehinc seditionis authore, à Londinensi Prætore pugione confosso, populi tumultus sedatur. iiii

1382 Ricardus Rex pro Vrbano. vi. v

1383 Pont. Rom. contra Gallos Pseudoclementis fautores depugnaturus, collecto exercitu, Henrico Spēserio Nordouicensi Episcopo belli duce in Flandros, qui Ludouico Comiti sui obsequentes Gallis adhærebāt, arma conuertit. Grauelingam, Dānum, & Burburgū oppida expugnant. Angli, mox pactis cum Carolo Rege conditionibus, Caletum repetunt. vi

1384 Rex Annam Vinceslai Imperatoris filiam in uxorem ducit. vii

Singulare certamen inter duos equites, Ansleium, & Cartonum altero alterum proditionis in Regem accusante, Cartonus uictus, sui sceleris pœnas dedit.

Ann. Christi. Ann. Regni.

1385 Leo Rex Armeniæ à Turcis expulsus, ex Gallia in Angliam traiicit, ut facta pace Gallum, & Anglum coniunctis copiis in Turcas conuerteret, sed re infecta, in Galliam rediit. viii

1386 Ioannes Viennensis Gallici maris præfectus, in Scotiam contra Anglos mittitur. Caroli Regis maximus belli apparatus; ad Clusæ portum ducum cunctatione, & ui tempestatis abrumpitur, atq; dimittitur. ix.

Dux Lancastrius, Lusitanū contra Castellanum Regem armis iuuat, Edmundo fratre belli Duce in Hispaniam transmisso. Castellanus Rex profligatur, Edmundus cum uictore exercitu in Angliā rediit.

1387 Concilium Parliamenti Vuestmonasterij habitum, in quo noui honores nobilibus delati, & Rogerius Mortimerius Merchiæ Vualliæ Comes, Rege sine liberis morituro, Regni successor declaratur, ex eo quod in matrimonium haberet Philippam, filiam unicam Leonelli Clarentiæ Ducis. Huius postea hæreditas ad Eboracensem familiam deducta, Edouardo quarto legitimi Regni ius attulit. x.

1388 xi.

1389 Robertus III. Rex defuncto Roberto II. in Scotia regnat. xii.

1390 Dux Lancastrius, Castellæ Regnum à Ioanne Hērici Nothi filio occupatum, Constātiæ cōiugis iure sibi hæreditarium repetens, cum copiis in Hispaniam traijcit. Pax inter Reges ijs cōditionibus facta, ut Dux Catherinā filiam, nuptum daret Henrico Ioannis Regis filio, ac ipse, & Constantia uxor, omni suo iure in regno cederent: Ioannes Rex puellam dotaret, ac Duci & Constantiæ uxori in singulos deinceps annos, tributi nomine penderet aureorum uicena millia, & pro impensis belli trecenta millia. Eodem tempore Dux cum Lusitano affinitatem iunxit, locata ei Philippa filia: Dux compositis in Hispania rebus, in Angliā reuertit. xiii.

Induciæ

Ann. Christi. Ann. Regni.

1391 Induciæ cum Gallis in trienniũ factæ. xiiij

Africum bellum, Genuensium precibus, à Gallis, Anglis, & Venetis susceptum. Barbari, imperata ingenti pecunia, intra suos fines cõpulsi, ac multi Christianorum captiui redditi.

1392 Scoti prædatores, Anglicos fines Dunelmum usq; incursant: leuia hinc inde uario Fortunæ euentu prælia. Henricus Northumbriæ Comes à Scotis captus, ac decem aureorum milibus redemptus. xv

1393 Induciæ cum Gallis in annos quatuor prorogatæ. xvi

Hyberni tumultuantes pacantur, Reguli eorum à Rege in gratiã recepti.

1394 Anna Regina moritur nullo ex se prole suscepto. xvij

1395 Reges Gallus & Anglus, ad Arderam propè Caletũ conueniunt, XII. Calend. Nouemb. In triginta annos pactæ induciæ, & Isabella Caroli Regis filia, annis ferè octo nata, Ricardo desponsa. xviij

1396 xix

1397 Thomas Glocestrensis, Regis patruus, mali animi erga Regẽ suspectus, insidiis de industria ab ipso rege compositis Caletum usq; deportatus necatur. Lancastrius & Eboracensis, fratris sui necem uindicare conantes, placidis uerbis à rege mitigantur. xx

1398 Rex spretis patrum consiliis, omnia pro suo iure agens, Hẽricum Lancastri filium læsæ maiestatis crimine delatum, ac Thomã Mombrauim Norfolciæ Ducem, Henrici delatorem in exilium agit. xxi

Ioannes Magnus Dux Lancastriæ moritur, Londini in D. Pauli templo maximo sepultus.

3991 Henricus Percæus Northũbriæ Comes, quòd alieno erga Regem animo uidebatur, publicatis bonis, patriæ hostis declaratur. xxij

Henricus Lancastri filius, nobilium cõspiratione, ab exilio ad Regnum euocatus, inopinatò in Angliam reuersus, Ricardum Regem, nullo negotio captum, in arcẽ Londini coniicit. Coacto principũ consilio, Ricardus malè administratæ Reip. dãnatus, corona, & sceptro se abdicare iubetur. Henricus Lancastrius, in eius locum Rex subrogatus, IIII. Iduum Octobris, Regni insignia sumit. Ricardus ad Põtifracti arcem traductus necatur, ann. ætatis suæ XXXIII. Sunt qui inedia periisse tradant.

Ann. Christi. Ann. Regni.

1400 Hẽricus Quartus Rex XXXIII. Ann. XIIII. i.

Ricardi secundi patruelis.

Quos Ricardus in exilium exegerat, domum reuocat, & carcere damnatos, liberat. Burdegalenses deiecti Ricardi sui uicem dolẽtes, Aquitanos ad rebellionẽ excitant, quos Henricus, Thoma Perceio copiarum Duce, mitigat.

Holandius Excestriæ Dux, Ricardi Regis frater, cum aliquot nobilibus de Henrico interficiendo, dum is ludorum spectaculis interesset conspirant. Capita coniurationis, detecti necatiq;.

Edmundus Eboracensis Dux moritur, relictis Edouardo & Ricardo liberis.

Isabella Ricardi Regis uidua, ad Carolum patrem in Galliam remittitur, ac triginta annorũ induciæ antea cum Ricardo pactæ, ab Henrico confirmatur.

Claringtonis eques illustris, & octo Franciscani ordinis monachi proditionis insimulati, necantur. Valli tumultuantes sedantur.

1401 Vigorniensis & Stafordiensis Comites, in Regem conspirant. ij.

1402 Pugna apud Salopiam, in qua Rex profligatis aduersariorum copiis, uictor euasit. Vigorniensis in pugna cecidit, reliqui capti, & occisi. Galli Cornubiam incursant. iij.

1403 Ricardus Eboracensis Archiepiscopus, defectionem à Rege parans securi percutitur. iiij.

1404 Canolius Aquitaniæ præfectus militari laude insignis moritur. v.

1405 Londini in Carmelitanorum cœnobio sepultus. vi.

1406 Henricus Northumbriæ comes in Eboracensi agro contra regẽ tumultuaria pugna captus occiditur. vij.

1407 Fanum Brioci in Britannia ab Anglis diremptum; ubi Edmũdus viij.

Ann. Christi.		Ann. Regni.
	Cantiæ Comes maris præfectus interiit.	
	Ludouicus Aurelianensis Dux, Caroli regis frater Lutetiæ occiditur à percussoribus immissis per Ioannem Burgundiæ Ducem, & hinc Gallia tota in factiones diu distracta.	
1408		ix.
1409		x.
1410		xi
1411	Rex, Burgundioni Duci contra Aurelianensem auxiliares copias mittit, ac eisdem copiis paulò post Aurelianensem contra Burgundionem iuuat: facta deinde inter utrunq; pace, Angli, qui pro Aurelianensi stabãt, suis stipendiis fraudati, plurima Galliæ intulêre incõmoda, & Engoemensem Comitem Aurelianensis fratrem pro obside abductum, annis xxxij. secum in Anglia retinent.	xij.
1412	Iacobus primus Roberti Scotorum Regis filius, patrui insidias uitaturus, dum in Gallia nauigat, cum classe interceptus, captiuus in Angliam ducitur.	xiij.
1413	Rex expeditionem ad sacrum bellum parans, Vuestmonasterii moritur xiij. Calend. April. Cantuariæ elatus. Henricus filius Monomothi in Vuallia natus v. Id. August. Rex Coronatur.	xiiij.
1414	Henricus V. Rex XXXIIII. Ann. IX. Quarti filius.	i.
	Duo præclara cœnobia à Rege extructa, alterum Bethlehem appellatum, quod Carthusianis monachis incolẽdum dedit, alterum Syon, quod est Brigitensium, uirorum pariter, ac fœminarum, utrũque ad Regiam Richemundiã, in utraq; Thamesis ripa positum.	
1415	Vuicleffistarum secta in Cõstantiensi concilio damnata, in Regem conspirans, captis & occisis ducibus opprimitur.	ij.
	Rex in Galliam expeditionem parans, Ricardum Eboracensis Ducis fratrem, Scruppum, & Graiũ equites in eum conspirantes, in castris securi percutiit. Idibus Augusti Antonæ portu in Normanniam soluit: Ariflorum expugnat, Caletum dein terrestri itinere exercitum traducturus, octauo Calendas Nouembris Dangincortii ad Blangium oppidum pugnare coactus, nouo stratagemate palorum septis Gallorum equitum uim prohibentibus, clarissima uictoria potitus est. Decem Gallorum millia cum multa nobilitate occubuerunt, & totidem ferè capta sunt. Duces interempti, Alenconius, Ambarrus, Lotharingus, & Brabantinus, Niuernẽsis Comes, & Albretius magister equitum. Capti Aurelianensis, & Borbonius Duces. Henricus Rex parua clade affectus, excepto Duce Eboracense patruele cæso. Rex Caletum, deinde in Angliam rediit.	
1416	Sigismundus Imperator componendæ pacis causa, in Angliam traiicit.	iij.
	Bedfordiensis cum nouo militum supplemẽto in Normanniam missus, Gallos nauali prælio uincit & Anglis Ariflori obsessis suppetias tulit.	
1417	Sigismundus Imperator desperata pacis compositione, magnis muneribus à Regè donatus, in Germaniam rediit.	iiij.
	Rex, VI. Calend. Augusti, cum ingenti classe in Normanniam traiicit, Cadoniũ, Bellocassum & Lexouium urbes expugnat, & alia Normanniæ oppida capit.	
1418		v
1419	Rhotomagum quinq; mensibus obsessum, oppidanis famæ oppressis, Henrico regi deditur.	vi.
	Philippus Burgundiæ Dux, iũcta cum Anglis societate, in patris sui ultionẽ, qui paulò ante ad Mõterigolium in conspectu Delphini de pace agere uolentis interfectus est, Carolum regem, reginam, Lutetiam, & quicquid suæ factionis habebat, in manus Henrico tradidit, & in Tricassibus Catherinam Caroli regis filiam nubere illi coegit, ea lege, ut ij, eorũq; liberi Franciæ Regno succederent, & Henricus interea rex Angliæ & rector Franciæ cognominaretur. Delphinus exhæredatus, & proscriptus est.	
1420		vij.

Henricus

Ann. Christi. Ann. Regni.

1421 Henricus rex Catherinam uxorem in Angliam traducit, ubi maximo cum triumpho accepti. Humfredus Glocestriæ Dux, Regis frater, cum Philippo Burgundiæ, Gallici Regni gubernatores relicti. Thomas Clarentii Dux cũ Richardo Varuici Comite, Normanniæ præfecti. viij.

Iacobus Scotorum Rex per decem annos in Anglia captiuus, pactis conditionibus, in Regnum restituitur.

Dux Clarentii ad Bellsforte Andegauensium oppidum à Scotorũ manu, quæ Delphino stipendia faciebat, occisus.

1422 Rex cognita fratris morte, suffecto in eius locum Somersetense, ipse cum altero frare Bedfordiensi in Galliam transmittit. ix.

Catherina Regina filium Henricum, ad Vindesorium castrum enixa.

Rex ad Vicennarum saltum propè Lutetiam, non sine ueneni suspicione obiit, pridie Calend. Septemb. ann. ætatis suæ. XXXVI. Corpus in Angliam relatum, & Vuestmonasterii conditum, Fratres suos Duces, Ioannem Bedfordiensem, Galliæ, Humfredum uerò Glocestrensem, Angliæ, rectores esse iussit. Hoc ipso anno Carolus sextus Gallorum Rex obiit, cui succedit Carolus VII. annis XXXVIII.

1423 Henricus Sextus, Rex XXXV. Ann. XXXVIII. Quinti filii infans. i.

Sub Glocestrensis patrui tutela relictus.

Ioannes Bedfordiensis, Philippus Burgundiæ, & Ioannes Britanniæ Duces, in Henrici pueri tutelam icto fœdere, Ambiani conueniunt.

1424 ij.

1425 XVII. Calend. Septembr. Anglorum uictoria ad Vernolitum in Gallia, ducente exercitum Bedfordio, ubi ad quinque Gallorum millia cæsi: captus Ioannes Alenconii Dux, & nobilium alii ducenti: Anglorum duo millia desiderati. iij.

Ann. Christi. Ann. Regni.

Thomas Montacutus Sarisbiriensis Comes, Cenomanos, & Fanum Susannæ expugnat.

1426 Die Veneris VIII. Cal. Iun. Romæ apud S. Petrum in consistorio priuato, Martinus V. Pont. Henricum Beaufordi Vintoniensem Episcopum, Regis patruum, Cardinalem declarauit. iiij.

1427 Aurelium ab Anglis obsessum. v.

1428 Sarisbiriensis Comes, tormenti ænei pila ictus, interiit. Ducum deinde discordia, Anglorum res in peius abiêre. vi.

1429 Ioanna Puella armata, Aurelianenses obsessos commeatu iuuat, coactisq́; hostibus obsidionem relinquere, ad VIII. Id Maij, Anglos uiriliter expellit. vij.

Pataiense præliũ, in quo cæsis & profligatis Anglis Ioãnes Talbotus capitur. Puella Caroliũ Regem Remis consecrandum ducit.

Henricus Cardinalis Vintoniẽsis à Martino V. Pont. Legatus in exercitu contra Boemos mittitur.

1430 Puella Cõpendiũ obsessum ui, & astu ingressa, cũ in hostes eruptionem faceret, à Io. Lucenburgensi capitur, Rhotomagumq́; ad Ducẽ Somersetensem mittitur, dein magiæ damnata exuritur. viij.

1431 ix.

1432 Henricus Rex decimũ ætatis annum agens, in Galliam traductus, in primario Lutetiæ templo, ab Hẽrico Cardinale Vintoniensi, promulgato Angliæ & Franciæ Regis titulo, coronatur. x.

1433 Nicolaus Cardinalis sanctæ Crucis ab Eugenio Quarto Pon. Rom. cõciliandæ pacis causa inter Gallos & Anglos Legatus, inducias in sex annos paciscitur, quæ tamẽ post sextum mensem uiolatæ sunt. xi.

Henricus Rex Caleto in Angliã soluit.

1434 Talbotus Ambrosii Lori Galli equitis permutatione, & persoluto insuper pretio redemptus, in Angliam remittitur, ac paulò post reintegrato bello, copiarũ præfectus in Galliam redit. xij.

Thomas Arũdelliæ Comes ad Gerboriam arcem in Bellocas-

Ann. Christi. Ann. Regni.

sibus, accepto vulnere, periit.

Prælia inter Gallos & Anglos uario euentu in Normannia.

1435 Carolus Rex Fortunam belli metuens, Burgundium ab Anglis alienatum, ad se pertrahere conatur. Paci faciendæ Attrebatum urbs destinata, ubi Nicolaus Pontificis legatus, inter Gallũ & Anglum litis arbiter, leges fœderis proposuit, quas tamen Rex uterque respuit. Carolus, Burgũdium præmiis ac promissis, in suas partes adducit. Factiones ac inimicitiæ diuturnæ inter eos sopitæ, & sublatæ. xiij.

Ioannes Bedfordiensis, uir pace, ac bello illustris, Lutetiæ moritur, Rotomagi in principe æde sepultus.

1436 Burgundiæ Dux Caletum obsidet, sed subueniente Glocestrio obsidionem relinquere cogitur. xiiij.

Parisienses deturbato Anglorum præsidio, Gallis se dedunt mẽse Aprili, sicq; Lutetia urbs Regia, post annos quindecim, quàm in Anglorum potestatem uenerat, sub Gallorum imperium rediit.

Iacobus I. Rex Scotiæ suorum coniuratione occiditur, cui succedit IACOBVS II. annis XXIII.

1437 Catherina Regis mater obiit. Ouinus Tyderius Vallus, infimi generis, eius maritus, relicto ex se Edmundo filio, à quo postea Henricus Septimus Rex futurus genitus est, quòd Regio thoro se cõmiscere ausus sit: iussu Glocestrensis bis in carcerem coniicitur, ac postremùm capite plectitur. xv.

1438 xvi.

1439 xvij.

1440 Pacis conditiones inter Gallum & Anglum Caleti propositæ. Carolus Aurelianensis Dux post annum XXVI. quàm in pugna Dangicortensi captus fuerat, redemptus dimittitur. xviij.

1441 Talbotus uario euentu contra Gallos pugnat. xix.

1442 Induciæ cum Gallis factæ. xx.

1443 xxi.

1444 Rex in matrimoniũ ducit Margaritam Rhenati Andegauẽsium Ducis, ac Regis Siciliæ filiam. xxij.

1445 Henricus Chicceleius Archiepiscopus Cantuariensis obiit, qui in rei literariæ gratiam bina collegia Oxonii extruxerat, unum mortuorum memoriæ, alterum diuo Bernardo dicatum. xxiij.

1446 Dux Glocestrensis optimus Regni gubernator, per annos XXV. Margaritæ Reginæ odiis, & Principum quorundam inuidia, necatur. xxiiij.

1447 Henricus Cardinalis Vuintoniensis moritur, cui in Episcopatu succedit Guilielmus Vãfletus, collegii Magdalensis, in Oxoniensi academia author. xxv.

1448 xxvi.

1449 Violatæ foris induciæ. Plurima Normanniæ oppida Gallis se dedunt. xxvij.

1450 Cantiana seditio, Caddo plebeio Duce authore, concitatur. xxviij.

1451 Normannia tota amissa post annos XXX. quàm Henricus Quintus Anglis eam recuperauerat. xxix.

1452 Aquitania amissa post annos CCXIX. cùm Henricus Secundus dotali iure possessam acceperat, & postquàm Hẽricus Tertius eãdem à Philippo Augusto Gallorũ Rege, Ioanni patri ademptam recuperauerat, annis CCXXII. xxx.

1453 Talbotus in Gallia, Burdegalã recipit, idemq; mox pugna in Petrochoriis commissa, profligato exercitu occiditur, IIII. Id. Iul. Recuperata à Gallis Burdegala, & dehinc Gallici belli finis, ac ciuilis belli principium, ab Eboracensi & Somersetensi Ducibus exortum, unde postea per aliquot annos Anglia tota in factiones miserè distracta, & perpetuis nobiliũ cædibus funestata. xxxi.

1454 Ricardus Eboracẽsis Dux ad Fanum Albani prope Londinum Regiis copiis congressus, cruenta pugna, Somersetensem Ducem acie occidit, & Henricum Regem, uincentis more, Londinum trahit, xxxij.

1455 seq; Regni protectorem dicit. xxxiij.

1456 Varuicensis, & Sarisbiriẽsis Comites, se cum Eboracensi coniungunt. xxxiiij.

1457 Sarisbiriensis, in Bloretanis cãpis, pro- xxxv.

Ann. Christi.		Ann. Regni.
	pis, profligato Regis exercitu, uictor euadit.	
1458		xxxvi
1459	Pugna apud Northantonam, in qua Rex ab aduersarijs uictus capitur.	xxxvij
1460	Dux Eboracẽsis, coacto concilio, Regni hæres declaratur. Iacobus Rex Scotiæ in Roxeburgi castri obsidione dum incautius tormentis assisteret, effracti unius frustis percussus, interijt: Succedit Iacobus III. annis XXVIII. Margarita Regina, commissa apud Vakfeldiam pugna, hostes deuicit. Dux Eboracensis in acie occiditur. Sarisbiriẽsis captus capite plectitur. Rex ad Fanum Albani, Margaritæ coniugis auspiciis, profligato Varuicense libertati restituitur. Edouardus Merchiæ Comes, Ricardi Eboracensis Ducis filius à suis militibus Rex salutatus, in Eboracensi agro collatis signis Henricum in Scotiam abire compulit. Margarita Regina cum Edouardo filio in Galliam ad patrem Rhenatum confugit. Pugnatum est Dominico palmarum die: desiderata utrinque amplius uiginti Anglorum millia. Carolo Septimo in Gallia defuncto, succedit Ludouicus XI. Rex, annis XXIII.	xxxviij
1461	Edouardus Quartus Rex XXXVI. ann. XXIII. Ad Albæ rosæ, à Leonello Edouardi Tertij Regis filio generis sui initium referens, tertio Calendas Iulij Vuestmonasterij rex coronatur: Fratres Georgius Clarentij, & Ricardus Glocestriæ Duces creati.	i
1462	Henricus collecta Scotorum manu in Angliam reditum parans, pugna apud Exhamum, a Ioanne Montacuti Marchione profligatur, acpaulò post ab exploratoribus interceptus, Londinũ captiuus adducitur.	ij
1463	Ricardus Varuicensis Comes, de Edouardi regis coniugio tractãdo Legatus in Galliam mittitur.	iij
1464	Edouardus Rex Elisabetham Riuerij Comitis filiam Graij equitis uiduam in uxorem ducit, unde postea simultas inter Edouardum & Veruici Comitem.	iiij
1465		v.
1466		vi.
1467	Philippus Burgundiæ Dux Brugis moritur XII. Cal Iulij. Succedit Carolus filius, cui Margarita Edouardi soror nupta.	vij.
1468		viij.
1469	Varuicensis Comes & Clarentii Dux Edouardi frater, inito fœdere, in Hẽrici regis restitutionem contra Edouardum conspirantes, ad Banbericum pagum collatis signis Edouardum, profligato exercitu uincunt: Penbruchensis Comes, & Riuerius Edouardi socer capti interfectiq́. Edouardus hanc cladem uindicare parans, à Varuicense ex improuiso capitur, ac paulò post, ex arce in qua asseruabatur, amicorum opera clam dimittitur. Pugna ad Stamfordiam, in qua Edouardus, profligatis hostibus uictor euadit. Varuicensis Comes, & Clarentii Dux, cum uxoribus & magno suorum familiariũ numero, in Galliam transmittunt.	ix.
1470	Varuicensis cum Regina, & Edouardo Principe, in Henrici regis restitutionem icto fœdere, Ludouici Gallorum regis auxilio sexto pòst mense, quàm in Galliam traiecerat, in Angliam redit, Henricum carcere, in quo per decem annos captiuus detinebatur, liberat. Edouardus arrepto nauigio, in Flandriam ad Carolum Burgundium sororium confugit. Concilium Vuestmonasterii, VII. Calend. Decemb. in quo Henricus Rex iterum salutatus & Edouardus regni hostis declaratur.	x.
1471	Edouardus Caroli Burgundii Ducis auxilio clam adiutus in Angliam traiicit, & tertio Idus Aprilis post sextum decessionis mensem auctis eundo copiis, & Georgio fratre in eius partes adducto, uictor Lõdinum intrauit: Henricus Regno exutus, rursum in carcerem coniicitur.	xi.

Ann. Christi. Ann. Regni.

Pugna ad Barnetum prope Lõdinum, in qua Varuicensis deleto exercitu, vnà cum fratre Montacuti Marchione in acie occiditur. Cæsa vtrinq; plus decem millia.

Margarita regina paulo post cũ Edouardo filio ex Gallia adueniens, collecto suorum exercitu, prælio apud Teukisbiriam capitur, Edouardus Princeps trucidatur, regina in Galliam remittitur: Henricus rex abdicatus, in arce Londinensi necatur: Henricus Richemõdiæ Comes, in Galliam fugit.

1472 xij

1473 xiij

1474 *Edouardus rex quarto Non. Iulij cum ingenti exercitu in Galliam traijcit, Carolo Burgundiæ Duci cõtra Ludouicum Galliæ regem opẽ laturus.* xiiij

Pridie Cal. Septemb. reges ad Piqueniacum in colloquium veniũt & pacem componunt.

Philippus Comineus Eques Argentonius istorum temporũ Historiam accuratissimè scribit.

1475 xv

1476 xvi

1477 xvij

1478 *Clarentij Dux, causa necdum satis cognita, iubente fratre rege, mense Februario clam in arce Londinensi necatur, relictis Edouardo & Margarita liberis.* xviij

1479 xix

1480 xx

1481 xxi

1482 *Glocestrensis Dux, Scotiæ fines incursans, Beruicũ expugnat.* xxij

1483 *Rex quinto Idus Aprilis moritur, Edouardo Vualliæ principe, & Ricardo Eboracensi Duce liberis sub Glocestrensis fratris tutela relictis. Corpus ad Vindesorium castrum, in D. Georgij tẽplo sepultũ.* xxiij

Hoc ipso anno defuncto in Gallia Ludouico XI. Succedit Carolus VIII. rex ann. XIII. Edouardus Quintus Rex XXXVII. mens. II.

Annum agẽs ætatis vndecimũ, necdum coronatus Glocestrensis patrui proditione, vnà cum Ricardo fratre IX. Calendas Iunij clam in arce Londinensi necatus, Glocestrẽsis parricida pridie Nonas Iulii Vuestmonasterii regiam coronã sumit.

1484 *Ricardus tertius Rex XXXVIIJ. Ann. II.* i.

Henricus Dux Buchyngamiæ de reducendo Hẽrico Richemõdiæ Comite, contra Ricardum Regem cõspirans, deleto exercitu captus, apud Sarisbiriam capite plectitur.

1485 *Henricus Richemõdiæ Comes, annis ferè quindecim in Gallia exul, à Regni principibus, Ricardi tyrannidem ægrè ferentib. in patriam accitus, Calẽdis Augusti ex Sequanæ ostio soluẽs, septimo post diem Milfordiam Vualliæ portũ appulit, vndecimo Calendas Septembris. Ipse cum paucis militib. copiosissimo Ricardi Regis exercitu prope Lecestriam congressus, Ricardum à suis destitutum acie occîdit, & pridie Calendas Nouembr. Vuestmonasterii Regiam coronam sumit.* ij.

Pestilens sudor hoc anno primũ in Anglia.

1486 *Henricus Septimus Rex XXIX. ann. XXIIII.* i.

Edouardi Quarti gener, Elisabetha Edouardi filiarum natu maxima in uxorẽ ducta. Hic primus militare satellitium ad corporis custodiam abhibuit.

Arthurus Princeps, mense Septembri Vuintoniæ nascitur.

1487 *Puer quidam ignobilis, pro Edouardo Varuicensi Clarentij Ducis filio, à sacerdote subornatus, ingentem populi tumultum excitat. Rex producto è carcere Varuicensi, tumultum sedat.* ij.

1488 *Iacobus tertius Scotorum rex nobilium suorum coniuratione occiditur, cui succedit Iacobus quartus annis XXV.* iij.

1489 *Lamberti pueri, pro Edouardi Regis filio subornati factio opprimitur.* iiij.

Ioannes Lincolniensis Comes, Edouardi IIII. ex sorore nepos, Margaritæ matertera subsidio ex Flandria, cũ magna Germanorũ

manu

Ann. Christi. Ann. Regni.

manu, Martino Stuardo Duce transmissis in Hyberniam contra Henricum regem copijs, in Eboracensi agro collatis signis à rege occiditur.

Eboracenses populari seditione Hēricum Northumbriæ Comitem interficiūt: tumultuantes sedātur.

Hadrianus Innocentij Pontificis Quæstor in Anglia Bathoniēsis Episcopus factus, postea ab Alexādro sexto Pontifice Cardinalis declaratus.

1490 Rex urgente Maximiliano Imperatore exercitum in Galliam traijcit, Bononiam frustra oppugnat: facta dein pace, certaq; pecunia in singulos annos imperata, in Angliam redijt. v

1491 vi

1492 vii

1493 Petrus Varbechius in Flandria pro Edouardi regis filio subornatus, uarijs seditionibus, Angliam diu exagitat. viii

Gutlielmus Stanleius Eques, qui Henrico regi in bello cōtra Ricardum uictoriam peperit, capite damnatur.

1494 Bellum in Scotos Petri Varbechij defensores, decretum. ix

1495 x

1496 Cornubiensium seditio ad Blachetum collem prope Londinum à Rege opprimitur, ducibus captis, & extremo supplicio affectis. Scoti Anglicos fines incursant, & Norhamiæ arcem oppugnant. xi

1497 Carolus VIII. Rex Galliæ moritur: succedit Ludouicus XII. Ann. XVII. xii

1498 Pax inter Reges Scotum, & Anglum, Ferdinandi Hispaniæ Regis Legati interuentu, composita. xiii

Petrus Varbechius in Hyberniam traijcit, Cornubienses ad tumultuandum excitat, à Rege tandem profligatus capitur.

1499 Edouardus Varuicensis Clarentij Ducis filius, Edouardi IIII. Regis nepos, puerili ætate Londini in foro publico, innocens securi percutitur. xiiii

Pestis in Anglia, Londini ad triginta hominū millia perijere, & Regia uilla ad Schenum incendio consumpta: Rex & Regina pestis uitandæ causa Caletum traiiciūt.

1500 Arthurus Princeps decimum quartum ætatis annum agens, XVIII. Cal. Decemb. Catherinam Ferdinandi Hispaniæ Regis filiam xvi.

1502 in uxorem accipit; & quinto pòst mense lenta febri moritur. Catherina Henrico Arthuri Principis fratri nubit, irrata ex Rom. Pont. authoritate prioris coniugii religione: Matrimonium hoc per uiginti annos felicissimo euentu, suscepta etiam prole continuatum, importuna demum Henrici inconstantia abruptum, inexpertas, necdum finitas, Anglico imperio clades ostendit. xvii.

1503 Elisabetha Regina, III. Id Feb. Londini in puerperio moritur. VI. Id. Aug. Margarita Regis filia natu maxima Iacobo IIII. Scotorum Regi nupta. xviii.

1504 Rex, oratores tres ad præstandā Iulio II. Pon. Rom. de more, obediētiam, Romam mittit. xix.

1505 Philippus Castelliæ Rex cū coniuge ex Flandria, Hispaniam petiturus, ui tempestatis classe in Angliam disiecta, Regis hospitio exceptus, Edmundo Polaprius ex Flādria, uti conuenerat, restituto, inchoatum iter in Hispaniam perficit. xx.

1506 xxi.

1507 Nordouicum ciuitas tota ferè incendio absumpta. xxii.

1508 xxiii.

1509 Rex ad Regiam Richemondiam moritur, IX. Calend. Maii. translatus ad Vuestmonasterium, & cū Regina sepultus. xxiiii.

Huius pii operis monumenta, tria D. Francisci familiæ cœnobia, religioso apparatu extructa, duo, Regiis ædibus contigua Richemondiæ & Grynouichiæ, tertium ad Neuarchium castrum in agro Lincolniensi. Xenodochium item Londini in ripa Thamesis fluminis, splendido structuræ ornatu positum, ac D. Ioanni Baptistæ dicatū, Ioannis Magni Lancastriæ Ducis incolatu olim celebre, cui à

Ann. Christi. Ann. Regni.

Petri Sabaudiensis Principis memoria, qui eius loci prima fundamenta posuisse dicitur, Sauoya, nomen inditum. Via itē publica per XX. *millia passuum à Londino usq; ad Vindesorium castrum percommodè munita.*

His temporibus perfectæ literæ Latinæ simul, ac Græcæ felicissimo ex Italia ingeniorum prouentu, in Britāniam usq; diffusæ. Principes nonnullos apud Anglos suis sumptibus ad iuuanda passim bonarū artium studia excitarūt. Quo nomine Margarita Henrici Regis mater illustris fœmina, hortatu Ioannis Fisceriị Roffensis Episcopi viri perinde pij, atq; eruditi, in Cātabrigiensi Academia, binas ædes magnifico apparatu, in studiorum gratiam cōdidit, magnisq; prouentibus auxit, vnas Christo Seruatori, alteras D. Ioanni Euangelistæ dicatas: eo item loci Ioānes Elyensis Episcopus paulò antea alterius collegij, Iesu nomini dicato, author extitit. Horum æmulatione ducti Gulielmus Lincolniensis, & Ricardus Vintoniensis Episcopi, Oxoniensem academiam paribus studijs exornarunt. Hic corpori Christi, ille Brasynnose, ut vocant, collegia condidit. Istorum instituta secutus Ioannes Coletus, D. Pauli, vti vocant, Decanus, verbi diuini concionator eximius, Hērico Regi propter insignem animi pietatem, doctrinamq; apprimè charus, circa hæc tempora Lōdini scholam publicam eleganti structura posuit, eandemq; suorum ciuium liberis gratuitò in perpetuum erudiēdis, amplissimo patrimonio dotauit.

Thomas Linacrus Medicus, cultissimus Galeni interpres.

Guilielmi tres, Grocyntus, Lilius, & Latemerius, politioris literaturæ professione insignes.

Polydorus Vrbinas hucusq; scripsit Historiam.

Henricus Octauus Septimi filius, Edouardi Quarti ex filia nepos VIII. Cal. Iulij. Vuestmonasterij cū Catharina coniuge coronatur.

1510 *Henricus Octauus* Rex *XL.* i.

Ann. Christi. Ann. Regni.

Ann. XXXViij. Calend. Ianuarij.

1511 *Catharina Regina Henricum filium parit, qui VI. Calen. Aprilis moritur.* ij.

Darceus Regis copijs præfectus, in Hispaniam ad Ferdinandum Regem contra Afros in auxilium mittitur.

Thomæ Hauardi cōtra Scotos insignis uictoria, Andrea Bartono nauali pugna superato, captoq;.

1512 *Edmundus Pola Dux Suffolciæ, Edouardi Quarti ex sorore nepos, capite damnatus.* iij.

1513 *Rex Henricus Octauus Iulij. II. Pontificis, & Maximiliani Imperatoris authoritatem secutus, indicto Gallis bello, cū instructissimo exercitu Caletum traijcit. Interea Iacobus Scotorum Rex, Angliam omni militum robore penè uacuam cum ingenti exercitu hostiliter ingressus, collecto Reginæ opera exercitu, in pugna ad Floddum uicum in Northūbria, Thoma Hauardo Surrei Comite belli duce, pari propè utrinq; cæde edita, occiditur.* iiij.

Galli pugna in Morinis, quæ ab euentu Calcaria dicta est, profligati. Longeuillanus Dux, Baiardus & Bussius, captiui in Angliam ducti. Morini, & Tornacenses obsessi, Anglis se dedunt. Rex copias in Angliam reducit. Hoc ipso tempore nauale bellum in ora Britanniæ gestum. Pratoria Anglorum nauis cum Cordigera Galliæ flammis absumpta.

1514 *Lōgeuillani Ducis captiui opera pax inter Reges facta. Ludouicus Rex Mariam Henrici sororem uxorem accipit. Nuptiæ ad Abbeuillam, VIII. Id. Octobris.* v.

1515 *Calend. Ian. moritur Ludouicus Rex, succedit Franciscus I. Rex, An. XXXII.* vi.

1516 *Maria Henrici Regis filia Grynouichiæ nascitur, & Regni hæres declaratur.* vii.

1517 *Maria Henrici soror, Carolo* viii.

1518 *Brādonio Suffolciæ Duci nupta.* ix.

1519 *Tornachum hoc anno Gallis restitutum.* x.

Thomas Hauardus Surreius

Ann. Christi. Ann. Regni.

Comes, Regis præfectus, in Hyberniam mittitur.

1520 Reges Gallus & Anglus, splendidissimo utrinque apparatu, ad Arderas conueniunt. xi

1521 Edouardus Dux Buchyngamiæ capite damnatus, XI. Cal. Maij. xii

Thomas Cardin. Eboracensis à Rege legatus in Galliam mittitur.

Hoc anno cum latè serperet per Germaniam Lutherana hæresis, atq; adeò in Anglia per multorum capita grassaretur, Rex in fidei Catholicæ, & sacramentorū assertionē præclarū uolumen edidit, quod cùm Leo X. Pont. Max. in Cardinalium suorū cœtu perlegisset, approbato, collaudatoq; catholici Regis iudicio, Regē ipsum, posterosq; ad perpetuam pij instituti memoriā fidei defensoris titulo insigniuit.

1522 Carolus V. Imperator Caleto in Angliam traiicit, VIII. Id. Iun. magnificentissimo apparatu à Rege exceptus, Londinum intrauit, indeq; ad Vindesorium castrū honorificè deductus, post aliquot dies Antonæ portu, in Hispaniā soluit. xiii

1523 Rhodos Insula hoc anno à Turcis expugnata VIII. Cal. Ian. xiiii

Christiernus rex Daciæ regno expulsus, in Angliā aduenit mense Iunio.

1524 Carolus Suffolciæ Dux, traiecto in Galliā exercitu, Picardiam uastat. Dux Albaniæ cum magna Scotorum manu Verchium castrū obsidens, ad Surrei aduentantis nuntium in fugam conijcitur. xv

Rex hoc anno à Clemente VII. Pontif. Rom. Rosa aurea honoris causa donatus. Ioannes Clerk. Bathoniensis Episcopus, quo xenodochium Anglorum Romæ hoc anno instauratum, & Richardus Paceus apud Clementem VII. pont. Regij oratores Romæ.

1525 Pax inter reges Gallum & Anglum composita. xvi

1526 xvii

1527 xviii

1528 Pestilens sudor hoc anno. xix

1529 Rex & regina, suborta de matrimonij sui iure quæstione corā Laurentio Campegio, & Thoma Eboracensi Cardinalibus Legatis, Lon- xx

Ann. Christi. Ann. Regni.

1530 dini causam dicunt. xxi.

1531 Thomas Cardinalis Eboracensis moritur, III. Calend. Decemb. xxii.

1532 Thomas Morus summa fide, & integritate scrinij magister, quem Regni Cancellarium uocant, sponte magistratu se abdicat. xxiii.

Reges Gallus & Anglus Bononiæ, & Caleti conueniunt mense Octobr.

1533 Catharina Regina Caroli V. Cæsaris matertera, post annos amplius uiginti à rege indignè repudiata. xxiiii.

Anna Bolenia contrà decernente Clemente VII. Pont. Rom. pro uxore habita, & solenni ceremonia Londini coronata, IIII. Cal. Iunij.

VII. Idus Septembris Elisabetha Annæ Boleniæ filia nascitur. Maria Catharinæ filia hæreditario Principis titulo semet abdicare coacta.

1534 Elisabetha Barthonia monacha, multa de Rege sinistrè in vulgus uaticinata, cum aliquot sacrarum literarum professoribus, Londini laquei supplicio necata. xxv.

Thomas Giraldinus Comitis Chidariæ filius, Hyberniæ præfectus, patre in arce Londinēsi uita defuncto, rebellionem excitat. Alanus Dubliensis Archiepiscopus in eo tumultu ab Hybernicis interfectus.

Concilium Parliamenti Vuestmonasterij III. Non. Nouembris, in quo rex sibi tanquam supremo capiti Ecclesiæ sacrorum prouētuum annatas, ut uocāt, decimasq; persolui imperat. Monachi Cartusiensium tres regis decreto reclamantes, extremo supplicio affecti.

1535 Ioannes Fischerius Roffensis Episcopus, à Paulo tertio Pont. Max. Cardin. declaratus, & Thomas Morus, uterq; religione, & doctrina insignis, quia Catharinæ reginæ repudium sua authoritate approbare recusassent, & quia Regi supremi capitis Ecclesiæ authoritatem sibi assumenti, assentiri nollet, capitis supplicio hoc anno affecti. xxvi.

1536 Catharina regina non sine ueneni suspitione moritur, mense Ianuario. Maio sequenti, Anna Bo- xxvii.

Ann. Christi. Ann. Regni.

lenia adulterij damnata, unà cũ Georgio fratre, Norresio, Vestenio, Breertono, & Marco nobilibus, capite plectitur: altero pòst die rex Ianam Semeriam, tertiam uxorẽ ducit.

Lincolnienses, & Eboracenses populi, hoc anno innouatam : egni & religionis statum ægreferentes, præterea, & frequentibus pecuniarum exactionibus à Rege oppressi, coacto ad quinquaginta hominum millia exercitu, sacram expeditionem, militiam suam appellantes, contra regẽ copias ducunt, sed regiis ducibus pugna abstinentibus, ac simulatis interim futuræ concordiæ cõditionibus à rege oblatis, ab armis discedentes, seuerissima paulò post animaduersione trucidantur. Duces eorundem aliquot ex nobilitate, uana reconciliatæ gratiæ opinione decepti, necatiq;.

Paulus III. Pont. Max. Reginaldum Polum, Margarita Edouardi quarti regis nepte genitum, Romæ decimo Calendas Ianuarij, Cardi-

1537 nalem declarauit, quẽ paulò pòst xxviii

ad sanandam Hẽrici regis mẽtem in Angliam Legatum misit. Sed is quum in Galliam peruenisset, de immani Regis sæuitia præmonitus, qui misso ad Franciscum Regem cum mandatis Brianio, ut reiecta legatione Legatum ipsum captiuũ ad se in Angliam duceret, postulabat, ex Gallia in Flandriã deflexit, & Cameraci aliquandiu commoratus, Leodiũ tandẽ peruenit, ubi per aliquot menses ab Erardo à Marchia Cardinali honorificentissimè acceptus, deinde Romam rediit.

Iana Semeria regina, IIII. Idus Octobris Edouardũ filium ad Vindesorium castrum enixa, duodecimo pòst die moritur.

1538 I ex hoc anno D. Thomæ Mar- xxix

tyris sepulchrum Cantuariæ multorum regum & Principum donariis olim insigne, hoc anno iubẽte rege, sublatis donariis, & profanata diui Martyris memoria destructum. Hoc ipso tempore, direptis, ac dirutis ubiq; locorum monasteriis, monachi omnes uestem mutare coguntur.

Mense Decemb. Excestriæ Marchio Edouardi quarti ex filia nepos, Henricus Montacuti regulus & Edouardus Neuillius Eques illustris, quia regis impietati minus fauere uidebãtur, nullius interim grauioris criminis comperti, capite damnati.

1539 Redingius Glasconiensis, & Col- xxx.

cestrensis Abbates necati.

1540 Thomas Cromeuellus malis ar- xxxi.

tibus summã authoritatem in aula consecutus, & Regi per aliquot annos à cõsiliis omnibus intimus, Essexiæ Comitatu donatus, Iunio mense in publico foro multis criminibus obiectis, capite plectitur.

Anna Cliuentium Ducis soror, quam Rex per aliquot antea menses in uxorem duxerat, coniugali thoro repudiata, & Catharina Hauarda Ducis Norfolciæ ex fratre neptis, quinto tam inde matrimonio Regi coniuncta.

Rhodiensium militum religio hoc anno tollitur, fundi Regio fisco addicti.

Arthurus Plantegeneta Edouardo Rege genitus, cum Honoria coniuge perpetuis carcerib. damnati.

1541 Margarita Sarisbiriensis Geor- xxxii.

gio Clarentij Duce Edouardi quarti fratre germano nata, præter antiquum nobilitatis decus, toto uitæ suæ cursu sanctissima, septuagenaria maior, capitis supplicio affecta V. Calend. Iunij.

1542 Catharina Hauarda regina cũ xxxiii.

Durantio & Culperio nobilibus adulterij insimulata, capite plectitur, & Catharina Paria uidua, sexto matrimonio regi coniuncta.

Bellum inter Scotos & Anglos terra, mariq; gestum.

Iacobus V. Scotorum Rex moritur, regina filiam regni hæredem paulò antea enixa.

1543 Fœdus cũ Carolo V. Impera- xxxiiii.

tore contra Gallos.

1544 Edimburgiũ in Scotia ab An- xxxv.

glis direptum.

Rex ingenti pecunia populo imperata, Caletum cum exercitu traijcit,

Ann. Christi. *Ann. Regni.*

traiicit, Bononiã expugnat Idib. Septembris.

1545 *Franciscus Galliæ rex expeditionem in Angliam parat.* xxxvi

Galli Vectem insulã incursant.

1546 *Pax inter Gallũ & Anglum.* xxxvii

1547 *Rex obstructo suppurantis tibiæ meatu, ardentissima febri correptus moritur, VII. Calend. Feb. Thoma Hauardo Norfolciæ Duce cum Henrico filio Surrei Comite,* xxxviii

Ann. Christi. *Ann. Regni.*

paulo antea in Carcerem coniectis Surreius iuuenis capite plexus, pater senex perpetuis carceribus damnatus. Edouardo Henrici regis e. Iana Semeria filio, decimum ætatis annum agenti, Regiũ nomen delatum, regnum per interreges, siue gubernatores (ut uocant) sicuti moriens Henricus mãdauerat, administratum.


EDOVARDVS SEXTVS. i.

LANCASTRII, ET EBORACENSIS de Regno contentiones.



LANCASTRIA, & Eboracensis Regij sanguinis familiæ, Rosarum symbolis distinctę, diu inter se intestinis bellis de Principatu contenderũt. Eius uero factionis initiũ huiusmodi fuisse fertur. Henricus Rex, eius nominis Tertius, duos ex se liberos genuit, Edouardum Vualliæ Principem, & Edmundum Lancastrium. Edouardus minor natu, uti putabatur, quod forma præstanti, & indole egregia acceptior esset popularibus, Edmundo fratri maiori quidem natu, sed corpore deformi, Regno præpositus, ad quintam usque sobolem per centum & uiginti sex annos, legitimam Regiæ stirpis successionem sine controuersia continuauit, donec Henricus eius nominis Quartus, Ioanne Lancastrio, Edouardi Tertij Regis filio genitus, Ricardo Secundo Rege ui deturbato, Regnum obtinuit, Lancastriæ hæreditatem, quę sibi materno iure ab Edmundo cõtigit, legitima Regni successione iam antea fraudatam, Edouardi stemmate, à quo Ricardus originem duxerat, iure optimo præpositum iri debere dictitans. Quumq; hac Regię stirpis simultate proceres in duas factiones, partium studio distraherentur, factum tradunt, ut Lancastrij Rosa purpurea, & qui Edouardi partes sequebantur, candida in bellis uterentur. Succesit Henrico Quarto, à quo hæc fluxerunt, Quintus, Quinto eiusdem nominis Sextus, quo regnante præpotentium familiarum, ambiguus diu antea populi fauor, parto ab externis bellis ocio, in harum & illarum partium maiori animorum inclinatione, ciuilis contentionis initium fecit. Ricardus enim Dux Eboracensis, Edouardi Tertij Regis pronepos, Albæ Rosæ factionis Princeps, Leonelli Clarentię Ducis prosapia, quæ Ricardo Secũdo Regi hæreditate proxima censebatur, Annæ coniugio in suam ipsius familiam traducta, ab Hẽrico Sexto Rege legitimum Regni ius repetit, quod post multas utrinq; acceptas inuicem illatasq; clades, summo popularium ac Principũ consensu, Edouardo Ricardi Eboracensis filio cõtigit: qui Rex eius appellationis Quartus, Regnum aliquandiu summa pace & quiete, sedatis factionibus, haud infeliciter administrauit, donec post eius mortẽ Ricardi Glocestrensis fratris ferox & inquietus animus, præter publicas clades, priuata etiam familiæ suæ damna intulit: qui statim interfectis nepotibus eius tutelæ cõmissis,

ſemet Regem dixit: &, ut ex recenti parricidio, popularium animos ab affectatæ tyrannidis ſuſpitione auerteret, Edouardum fratrem inhoneſtè genitum, magna temeritate, & inſcitia diuulgauit, quum tamen Georgij Clarentiæ Ducis fratris Edouardo hæreditate proximi, liberos pari ſæuitia in carcere detineret. Sed hanc tantam tyrannidem diuinum numen haud diu inultam tulit. Henricus enim eius nominis Septimus, Lancaſtriæ factionis Princeps, ab exillo reuerſus, Ricardum Glocestrenſem prælio ſuperatum, uita & regno ſpoliat, utq; ſuam cum Eboracenſi extirpatis factionibus, unam, eandemq; familiam faceret: Eliſabetham Edouardi Regis filiam uxorem duxit: ac, ne quid poſthac inclinatis ad defectionem animis eorũ, qui maſculam Edouardi progeniem regnare cupiebant (quorum iam conatus ſemel, atq; iterum poſt adeptum Regnũ in ſe expertus fuerat) latius iam inde ſerperet, E douardũ Varuicenſem Clarentiæ Ducis filium puerili ætate, maxima totius populi commiſeratione, è medio tollendum curauit, & in Ricardo Polo conſobrino ſuo, ſupremi ordinis Equite illuſtri, ſui generis reliquias, ſplendidiſsimo Margaritæ Sarisbirienſis Clarentiæ filiæ cõiugio, nobili, & fœcunda utrinq; prole auxit, ſublatiſq; dehinc pernicioſiſsimarum factionum nominibus, pacatiſsimũ undique Regnum poſteris reliquit. Hęc omnia, quò facilius intelligantur, breuiter, & ſuccinctè adſcripta Genealogiæ tabula indicabit.



PAVLI IOVII
NOVOCOMENSIS EPISCOPI NVCERINI MOSCHOVIA, IN QVA SITVS REgionis antiquis incognitus, religio gentis, mores, &c. fidelissimè referuntur.

CAETERVM OSTENDITVR ERROR STRABONIS, PTOLOMAEI, ALIORVMQVE Geographię scriptorum, ubi de Riphæis montibus meminêre, quos hac ætate nusquam esse, planè compertum est.

HIERONY. DELII ALEX.

Moschouijs quando lucem das gentibus, omnes
Paule, tibi debent lumina Moschouij,
Sed quum Moschouiam per te quoque noscitet orbis,
Quid tibi quod, ni orbem, debeat, orbis habet?

IANI VITALIS.

Vix olim ulla fides referentibus horrida regna
Moschorum, & Ponti res glacialis, erat.
Nunc Iouio authore, illa oculis lustramus & urbes,
Et nemora & montes cernimus, & fluuios.
Hæc tibi Ruse dicat Iouius, quo nomine maior
Fama sit & Moschi, fama sit & Iouij.
Felicem ô gentem, auspicijs quæ talibus exis
In lucem, ô geminis inclyta numinibus.
Non poteras alio melius sub sydere nasci,
Quàm sub sceptiferæ Palladis atque Iouis.

P. CVRSII.

Moschouiam monumenta Ioui, tua culta reuoluens
Cæpi alios mundos credere Democriti.

PAVLI IOVII

NOVOCOMENSIS EPISCOPI NVCERINI MOSCHOVIA AD IOANNEM Rufum Archiepiſcopum Conſentinum.



FFLAGITASTI ampliſſime antiſtes Rufe, ut ea, quæ de Moſchouitarum moribus à Demetrio eius gentis legato, qui ad Clementē VII. Pontificem nuper uenit, quotidianis propè ſermonibus didiciſſem, Latinarum literarum memoriæ commendarem, quum pro uetere tua pietate atq; uirtute ad amplificandam Rom. Pont. dignitatem pertinere arbitreris, ſi homines intelligerent, non fabuloſi, aut omnino obſcuri nominis regem, ſed qui numeroſiſſimis extremi Aquilonis populis imperet, in cauſa religionis omnibus nobiſcum ſenſibus coniungi, fœdereq; perpetuo colligari, opportuniſſimo tempore cupiuiſſe, quando nuper aliquæ Germaniæ gentes, quæ pietate cæteris omnibus præſtare uideri uolebat, inſana atq; ſceleſta defectione non modò à nobis, ſed ab ipſis etiam ſuperis exitiabili errore deſciuerint. Cæterùm id munus impoſitum, quod certè grauioribus ſtudijs occupatus, iure optimo poteram recuſare, egregia uoluntate celeritateq; perfeci: ne nimia mora uel accuratiori caſtigatione gratiam nouitatis exueret: qua uel una re, meæ erga te veteris obſeruantiæ ſtudium, præſtandiq; officij uoluntas manifeſtè declaratur, quum honoris iacturam facere, ſi quis ex hac ingenij tenuitate ſperandus eſt, quàm deſiderium tuum longè honeſtiſſimum diutius fruſtrari maluerim. Vale.



EGIONIS primò ſitus, quem Plinio Straboniq; & Ptolomæo, parum notum fuiſſe perſpicimus, preſſa breuitate deſcribetur, & in tabula typis excuſa figurabitur. Inde gentis mores, opes, religionem, militiæq; inſtituta Tacitū imitati, qui à perpetuis hiſtorijs libellum de Germanorum moribus ſeiunxit, perſtrictiore ſtylo narrabimus, eandem ferè ſermonis ſimplicitate utentes, qua nobis ab ipſo Demetrio curioſa ac leni ueſtigatione laceſsito, per otium expoſita fuêre. Demetrius enim haud ineptè Latina utitur lingua, utpote qui in Liuonia à teneris annis in ludo prima literarum rudimenta didicerit, & inſigni uariarum legationum munere functus, plures prouincias Chriſtianorum adierit. Nam cum antea ob ſpectatam fidem ac induſtriā apud Sueciæ Daciæq; reges, & magnum Pruſsiæ magiſtrum oratorem egiſſet, nouiſsimè apud Maximilianum Cæſarem, dum in eius aula omnis generis hominum refertiſsima uerſaretur, ſi quid barbarum quieto docilique ingenio inerat, elegantium morum obſeruatione deterſit. Cauſam uerò huiuſce ſuſcipiendæ legationis præbuit Paulus Centurio Genuenſis, qui quum acceptis à Leone X. Pontifice commendatitijs literis, mercaturæ cauſa in Moſchouiam perueniſſet, cum Baſilij principis familiaribus ultrò de conſociandis utriuſq; Eccleſiæ ritibus agitauit. Quærebat enim Paulus inſano uaſtoq; animo, nouū & incredibile iter petendis ab India aromatibus. Fama namq; cognouerat, quum in Syria Aegyptoq; & Ponto negotiaretur, aromata ex ulteriore

riore India aduerso amne Indo subuehi posse, atq; inde modico terrestri itinere superatis Paropanisidis mõtium iugis, traduci in Oxum Bactrianorum amnem, qui ijsdem ferè montibus, quibus Indus oritur, aduerso fonte in Hyrcanum mare raptis secum multis amnibus ad Strauam portum effunditur. Porrò ab ipsa Straua tutam facilemq; nauigationem uideri usque ad emporium Citracham ostiumq; Volgæ amnis: inde uerò aduersis semper amnibus Volga scilicet & Occha & Moscho, in urbem Moscham: ab Moscha autem terrestri itinere Rigã & in ipsum mare Sarmaticum, omnesq; Occiduas regiones facilè perueniri posse contendebat. Vehementer enim & supra æquum Lusitanorum iniurijs erat accensus, qui India magna ex parte armis domita, occupatisq́ue omnibus emporijs, cuncta aromata coemerẽt, & in Hispaniã auerterẽt, atque ea grauiore quàm antea pretio, ac impotenti quæstu omnibus Europæ populis uenditare consueuissent, quin & diligenti adeò cura Indici maris littora perpetuis classibus custodirẽt, ut eæ negotiationes penitus intermissæ, atq; desertæ uideantur, quibus per sinum Persicum, ac aduersum Euphratẽ, & per Arabici maris angustias, secundoq; demum Nilo per mare nostrum Asia omnis atq; Europa abundè, & uiliore quidem pretio complebantur, deteriore etiam Lusitanorum mercimonio, quum remotissimę nauigationis incõmodo, sentinæq; uitijs aromata corrumpi, eorumq; uis & sapor, odoratusq; ille spiritus, multa demum mora in Olysipponensibus conditorijs promercalibus euanescere, atq; expirare uideatur, quũ asseruatis semper recentioribus, uetera tantùm & multo quidẽ situ mucida uenundari quereretur. Cæterùm Paulus quãquam de ijs rebus acerbissimè apud omnes disserendo, & Lusitanis ingentem conflando inuidiam, multo auctiora fore uectigalia regia, si id iter aperiretur, & aromata ab ipsis Moschouitis, qui tantam eorum uim omnibus ferculis absumerent, uilius emi posse perdoceret, nihil tamen quod ad eam negotiationẽ pertineret, impetrare potuit: quoniam Basilius homini externo ac ignoto, eas regiones quæ ad Caspium mare & Persarum regna aditum præberẽt, minimè aperiendas esse existimabat. Itaq; Paulus omnibus exclusus uotis, ex mercatore legatus factus, Basilij literas Leone iã uita functo ad Hadrianum põtificem retulit, quibus ille cum multo uerborũ honore egregiam uoluntatem erga Romanum pontificem ostendebat. Paucis enim antè annis Basilius ardente cum Polonis bello, quum Lateranensis conuentus haberetur per Ioannem Daciæ regẽ, huius Christierni, qui nuper regno expulsus est, patrẽ postularat, ut itertutum legatis Moschouitis ad urbem Romam præberetur. Verùm quum eodem fortè die, & Ioãnes Rex & Iulius pontifex ab humanis excessissent, sublato ad id sequestro, consiliũ mittendæ legationis omisit. Exarsit subinde bellum inter ipsum & Sigismundum Poloniæ regem, quod quũ insigni ad Borysthenem parta uictoria à Polono feliciter confectũ esset, Romæ supplicationes sunt decretæ ueluti deuictis cæsisq; Christiani nominis hostib. quæ rex & regem ipsum Basilium, & uniuersam gentem ab Roman. Pont. haud mediocriter alienauit. At quum Hadrianus Sextus Fato extinctus, Paulũ iam secundo itineri accinctum destituisset, suffectus ei Clemens VII. illum etiam tum Orientis iter insano animo uolutantem, cum literis in Moschouiam trãsmisit, quibus Basilium propensissimis adhortationibus inuitabat ad agnoscendam Romanæ Ecclesię maiestatem, feriendúmque communibus in religione sensibus perpetuum fœdus, quod illi maximè salutare atque honorificum fore testaba-

tur: ita ut Pontifex polliceri uideretur, ſe ex ſacroſancta authoritate Pontificia, eum Regem collatis regalibus ornamentis appellaturum, ſi reiectis Græcorum dogmatibus ad authoritatem Romanæ Eccleſiæ ſe conferret. Cupiebat enim Baſilius Regij nominis titulum conceſsione Pontificia promereri, cùm id dare ſacroſancti iuris eſſe, & Pontificiæ maieſtatis iudicaret, quando & ipſos quoque Cęſares à Pontificibus Maximis diadema aureum & ſceptrũ Romani imperij inſignia accipere, inueterata cõſuetudine cognouiſſet, quanquam & id pluribus à Cæſare Maximiliano legationibus poſtulaſſe ferebatur. Igitur Paulus, qui feliciore aliquãto curſu, quàm multo cum quæſtu percurrere terrarum orbem ab ineunte ætate didicerat, quanquam ſenex & antiqua ſtranguria tentatus, proſpero celeriq; itinere Moſcham peruenit, ubi à Baſilio humaniter eſt ſuſceptus. Fuit interea in eius aula menſes duos, diffiſusq; uiribus, & eius immenſi itineris difficultate deterritus, quum Indicæ negotiationis ſpes omnes ac inexplicabiles cogitationes penitus abieciſſet, cum Demetrio legato priuſquam eum in Moſchouiam perueniſſe putaremus, Romã redijt. At Pontifex magnificentiſsima Vaticanarum ædium parte, ubi laquearia aurata, lecti ſerici, aulæaq; eximij operis uiſebantur, Demetrium ſuſcipi & togis ſericis ueſtiri iuſsit, attribuitq; ei comitem, ac rerum diuinarum pariter & urbanarum monſtratorem Franciſcum Cheregatum Epiſcopum Aprutinum, longinquis ſæpe ac digniſsimis legationibus functum, qui ipſi Demetrio uel in Moſchouia, Pauli ſermonibus erat notiſsimus. Porrò Demetrius ubi aliquot dierum quietè recreatus eſt, deterſis elotisq; ſordibus, quas longo ac laborioſo itinere contraxerat, aſſumptoq; inſigni patrio habitu ad Pontificem deductus, cum de more ſupplex adorauit, munusq; Zebellinarũ pellium ſuo regioq; nomine obtulit. tum uerò Baſilij literæ datæ quas ipſi antea, & demum Illyricus interpres Nicolaus Siccenſis in hanc ſententiam Latinis uerbis tranſtulerunt. Clementi Papæ Paſtori ac doctori Romanæ eccleſię, magnus dominus Baſilius Dei gratia Imperator ac dominator totius Ruſsiæ, nec non magnus Dux Volodemariæ, Moſchouiæ, Nouogrodiæ, Pleſchouię, Smolenię, Iſſerię, Iugoriæ, Permniæ, Vetchæ, Bolgarię, &c. dominator & magnus Princeps Nouogrodiæ inferioris terrę, Cernigouiæ, Razanię, Volotchię, Rezeuię, Belchię, Roſtouiæ, Iaroslauię, Belozerię, Vdorię, Obdorię, Cõdinięq;, &c. Miſiſtis ad nos Paulum Centurionem ciuem Genuenſem cum literis, quibus nos adhortati eſtis, ut uobiſcum, cæteriſq; Chriſtianorum Principibus conſilio ac uiribus coniuncti eſſe uellemus aduerſus Chriſtiani nominis hoſtes, ac noſtris ueſtriſq; legatis ultro citroq; commeandi tutum ac expeditum iter pateret, ut mutuo amicitiæ officio de amborum ſalute & ſtatu rerum cognoſci poſsit. Nos autẽ Deo bene atque feliciter adiuuante, ſicuti hactenus, aduerſus impios Chriſtianæ religionis impigrè conſtanterq; ſtetimus, ita & in poſterum ſtare decreuimus. Itemq; cũ cęteris Chriſtianis principib. cõſentire, & pacata itinera pręſtare parati ſumus. Quas ob res mittimus ad uos Demetrium Eraſmum, noſtrum hominem cũ hac noſtra epiſtola, Paulumq; Centurionem remittimus. Demetriũ autem celeriter remittetis, eũq; incolumẽ & inuiolatum uſq; ad fines noſtros eſſe iubebitis. Idem nos quoq; pręſtabimus, ſi cũ Demetrio legatum ueſtrum mittetis, ut ſermone ac literis certiores de rebus adminiſtrãdis reddamur, ſic, ut perſpectis Chriſtianorum omniũ uoluntatibus, nos etiam optima conſilia capere ualeamus. Datum in domi-

nio no-

noſtro in ciuitate noſtra Moſchouia anno ab initio mūdi ſeptimo milleſimo tricesimo, tertio Aprilis. Cæterùm Demetrius uti eſt humanarū rerum, & ſacrarum præſertim literarū ualde peritus, occultiora de magnis negotijs mandata habere uidetur, quæ mox eū priuatis cōgreſsibus expoſiturum ſperamus: nã à febre, in quā ex cœli mutatione inciderat, priſtinas uires & natiuū vultus ruborem recuperauit, ita ut pōtificijs ſacris, quæ in honorē diuorum Coſmę & Damiani, ſolenni apparatu, muſicisq́ concentibus confecta ſunt, ſexagenarius ſenex, & cum uoluptate quidē aſtiterit, & in ſenatum uenerit, quum Campegius Cardinalis à Pannonica legatione tum primū rediens, à Pontifice omnibusq́ aulæ ordinibus exciperetur: quin & ſacroſancta Vrbis tēpla, & Romanæ magnitudinis ruinas, priſcorumq́ operum deploranda cadauera mirabundus inuiſerit, ita ut credamus eum propediem explicatis mandatis, cū legato Pontificio Epiſcopo Scarenſe, dignisq́ acceptis à Pontifice muneribus in Moſchouiam eſſe rediturum. Moſchouitarum nomen recens eſt, quanquã de Moſchis Sarmatarū affinibus Lucanus meminerit, & Plinius Moſchos ad Phaſidis fontes ſupra Euxinum ad Orientem conſtituat. Eorum regio latiſsimos habet fines, & ab Aris Alexandri magni circa Tanais fontes ad extrema terrarum, Borealemq́ Oceanum ſub ipſis ferè Septentrionibus extenditur, campeſtris magna ex parte, & pabuli quidem ferax, ſed ęſtate pluribus in locis admodum paluſtris. Nam ea omnis terra magnis frequentibusq́ amnibus irrigatur, qui ubi niuibus Hybernis multo ſolis uapore colliquatis & reſoluta ubiq; glacie contumeſcunt, cāpi paſsim in paludes abeunt, cunctaq́ itinera cōtinentibus aquis & cœnoſa illuuie defœdantur, donec nouæ hyemis beneficio reſtagnantia flumina, ipſæq́ paludes iterum cogantur, & uias ſolidiſsimo conſtratas gelu, uel tranſituris curribus præbeant. Hercynia ſylua quotam Moſchouiæ partē occupat, ipſaq́ paſsim poſitis ubiq; ædificijs incolitur, iamq́ longo labore hominū rarior facta, non eam ſicuti pleriq; exiſtimant, horridam denſiſsimorum nemorum impenetrabiliumq́ ſaltuum faciem oſtēdit. Cæterùm ea immanibus feris pleniſsima per Moſchouiam perpetuo tractu inter Ortum ſolis, & Boream ad Schyticum Oceanū excurrere traditur, ita ut ſpes hominum eis finem curioſè ſcrutātium, infinita magnitudine ſua ſemper eluſerit. Ea in parte quæ uergit ad Pruſsiam, Vri ingētes & ferociſsimi, Taurorū ſpecie reperiuntur, quos Biſontes uocāt, itemq́ Alces ceruina effigie & cum carnea proboſcide altisq́ crurib. & nullo ſuffraginū flexu Lozzi à Moſchouitis, à Germanis uerò Helenes appellati, quæ animalia C. Cæſ. notas fuiſſe uidemus. Præterea Vrſi inuſitatę magnitudinis, & prægrādes Lupi atro colore formidabiles. Ab ortu Moſchouia finitimos habet Schytas qui Tartari hodie nuncupātur, gentē uagam & bello omnibus ſeculis illuſtrem. Tartaris pro domibus ſunt carri cētonibus corijsq́ contecti, ab quo uitæ genere Amaxouios antiquitas eos appellauit: pro urbibus uerò ac oppidis immenſa caſtra, non foſsis aut materie clauſis, ſed infinita ſagittariorū equitum multitudine uallata. Diuiduntur Tartari per Hordas, ea eſt eorum lingua conſentientis in unū populi cōgregatio ad effigiem ciuitatis. Hordis ſinguli præſunt imperatores, quos genus aut bellica uirtus dedit: ſæpe enim cum finitimis bella gerunt, ac ambitioſè admodum & atrociter de imperio decertant. Hordarum infinitum propè numerum eſſe conſtat, quippe Tartari ad Cathayum uſque celeberrimam in extremo ad Orientē Oceano ciuitatem, latiſsimas ſolitudines tenent. Porrò qui proximi ſunt Moſchouitis, mer-

caturæ cõmercio & frequẽtibus eorum irruptionibus sunt noti. In Europa ad Dromõ Achillis Taurica in Chersoneso sunt Præcopitæ, quorũ principis filiã Selymus Turcarum imperator uxorẽ duxit. Ii Polonis maximè sunt infesti, lateq; inter Boristhenem & Tanaim cuncta populantur, & cũ Turcis, sicuti religione, ita & cæteris in rebus mirificè consentiunt, qui in eadẽ Taurica Caffam Ligurum coloniã obtinent, Theodosiam antiquitus appellatam. Ii uerò Tartari, qui inter Tanaim & Volgã amnem in Asia latos cãpos inhabitant, Basilio Moschouitarũ regi parent, & imperatorẽ aliquando eius iudicio deligunt. Inter eos Cremij intestinis seditionib. laborantes, quũ anteà opibus & belli gloria maximè ualuissent, paucis antè annis uires simul ac omnem dignitatem amiserunt. Trans Volgam, Casanij Moschouitarũ amicitiam religiosè colunt, ac eorum se clientes esse profitentur. Vltra Casanios ad Boreã sunt Sciabani multitudine armentorũ, ac hominum potentes. Post eos sunt Nogai, qui summam hodie opum bellicæ laudis obtinent authoritatẽ. Eorum Horda quàm amplissima nullum habet Imperatorem, sed Reipublicæ Venetę more, multa seniorũ prudentia, strenuorumq; uirtute gubernatur. Vltra Nogaios haud magno ad meridiem deflexu uersus Hyrcanum mare, Zagathai Tartarorum nobilissimi oppida lapide constructa incolunt, regiamq; habent Samarcãdam urbem eximiæ magnitudinis & claritatis, quã Iaxartes maximus Sogdianæ amnis interfluit, atq; inde ad centum miliaria in mare Caspiũ effunditur. Cum ijs populis ætate nostra Hysmael Sophus rex Persarum dubio sæpe euentu bella gessit, timoreq; eorũ adductus, dum uires omnes imminentibus opponuntur, Selymo una acie uictori Armeniã Taurisiumq; regni caput prędæ reliquit. Samarcãda urbe ortus est Tamerlanes, siue ut Demetrius dicendum monet, Themircuthlu, qui Baiazetem Ottomanum huius Solymani tritauum apud Ancyrã Galatiæ urbem ingenti prælio superatum cepit, & per omnem Asiam ab se terribili maximi exercitus impetu deuictã, ferrea inclusum cauea in triumphi põpa circũduxit. Ab hac regione ad Moschouitas plurima uestis serica adducitur. Cæterùm mediterranei Tartari nihil prę ter equorũ perniciũ greges, & nobiles nulla filorũ textura, sed coactis ex lanis, candidos centones præbent, è quibus Feltriæ uestes penulæ ad perferendã omnem imbrium iniuriam idoneæ, atq; pulcherrimę cõficiuntur. A Moschouitis autẽ laneas tunicas & argenteam monetam petunt, quũ ab ijs omnis corporis cultus, superfluæq; suppellectilis apparatus contẽnatur: solo etenim centone ad irati cœli contumeliam fortiter sustinendã contenti sunt, & solis cõsisis sagittis hostem arcẽt, quanquam dum in Europam excurrẽdum esse decreuissent, Principes eorum ferreas galeas & loricas, gladiosq; falcatos, à Persis nostra tempestate coemerint. A Meridie Moschouitarum fines ijsdẽ ab Tartaris claudũtur, qui supra Meotim paludem in Asia, & circa fluuios Borysthenem & Tanaim in parte Europæ planitiem ad Hercyniam uergentem tenent. Roxolani, Getæ & Bastarnæ antiquitus eã plagam incoluêre, unde Rusſiæ nomen effluxisse crediderim: nam Lithuaniæ partem Rusſiam appellant inferiorem, quum ipsa Moschouia Rusſia alba nuncupetur. Lithuania itaq; ab Cori uenti flatibus Moschouiã spectat, ab Occasu uerò mediterranea Prusſiæ atq; Liuoniæ ipsis Moschouiæ finib. inseruntur, ubi mare Sarmaticũ ab Cymbricę Chersonesi angustijs irrumpens, lunato sinu ad Aquilonẽ inflectitur. In extremo uerò eius Oceani littore, ubi Noruegia atq; Suetia amplissima regna, Isthmo ueluti quodam continẽti adhærẽt, Lapones

existunt,

existunt, gens supra quam credibile sit, agrestis, suspiciosa, & ad omnis externi hominis uestigium, nauigijq; conspectum, maximè fugax. Ea neque fruges, neque poma, neque ullam omnino uel terræ uel cœli benignitatem nouit. Sola sagittandi peritia cibum parat, uarijsq; ferarum tergoribus uestitur. Gentis cubilia, cauernulæ siccatis repletæ folijs, cauíque arborum stipites quos uel intromissa flamma, uel ipsa uetustas inducta carie fabricarit. Aliqui ad mare, ubi ingens est captura piscium, ineptis sed felicibus artificijs piscantur, duratosq; fumo pisces, tanquam suas fruges recondunt. Laponibus exigua corporum statura, luridi contusiq; vultus, pedes uerò uelocissimi. Ingenia eorum ne ipsi quidem proximi Moschouitæ nouerunt, quum eos parua manu aggredi exitialis insaniæ esse dicant, magnis uerò copijs inopem rerum omnium uitam ducentes lacessisse, neque utile neque omnino gloriosum unquam existimarint. Ii candidissimas pelles quas Armelinas uocamus, cum uarij generis mercimonijs permutant, sic tamen, ut omne mercatorum colloquium conspectumq; defugiant, adeò ut mutua rerum uenalium collatione facta, & relictis medio in loco pellibus, cum absentibus & ignotis sincerissima fide permutationes transigantur. Vltra Lapones in regione inter Corum & Aquilonem perpetua oppressa caligine, Pigmæos reperiri, aliqui eximiæ fidei testes retulerunt, qui postquam ad summum adoleuerint, nostratis pueri denum annorum mensuram uix excedant, meticulosum genus hominum & garritu sermonem exprimens, adeò ut tam simiæ propinqui quàm statura ac sensibus ab iustę proceritatis homine remoti uideantur. Ab Aquilone uerò innumerabiles populi Moschouitarum imperio parent, qui ad Oceanum Scythicum itinere trium ferè mensium extenduntur. Proxima Moschouiæ regio est Colmogora frugibus abundans, quam interluit Diuidna fluuiorum totius Septentrionis longè amplissimus, qui alteri fluuio minori in mare Baltheum erumpenti, nomen dedit. Is statis & Niloticis similibus incrementis, nec incertis anni temporibus circũiectos inundat campos, pinguísque alluuie algentis cœli iniurijs, sæuisq; Aquilonis flatibus mirificè resistit, quum niuibus imbribusq; auctus inflatur, adeò lato alueo in Oceanum per incognitas gentes in speciem ingentis pelagi defertur, ut expedito nauigio unius diei remigatione transiri nequeat. Vbi uerò aquæ mox resederunt, uastæ passim insulæ fertilitate nobiles relinquuntur. Frumentum namque terræ traditum nullo aratri beneficio prouenit, admirabiliq; celeritate naturæ festinãtis ac nouam superbi amnis iniuriam timentis, oritur simul & adolescit atque in aristas educitur. In Diuidnam influit Iuga amnis, in ipsoq; confluentium angulo celebre est emporium nomine Vstiuga à Moscha regia urbe sexcentis miliaribus distans. In Vstiuguam à Permijs, Pecerris, Inugris, Vgulicis, Pinnagisq; ulterioribus populis preciosæ pelles Martarum Zebellinorumq;, Luporum, Ceruariorũ, & nigrarum albarúmque vulpium comportantur, & ab ijs uario mercimonij genere permutãtur. Zebellinos uerò leuium pilorum tenui canicie probatissimos, quibus nunc Principum uestis fulcitur, & delicata matronarum colla expressa uiuæ animantis effigie conteguntur, Permij & Pecerri præbent, sed quos ipsi à remotioribus etiam gentibus, quæ ad Oceanum pertinent, per manus traditos accipiant. Permij & Pecerri paulo ante ætatẽ nostram more gentilium Idolis sacrificabant, nunc uerò Deum Christum colunt. Ad Inugros, Vgolicósque per asperos montes peruenitur, qui fortasse Hyperborei anti-

quitus fuerunt. In eorum iugis nobiliſsimi falcones capiuntur: ex ijs genus unum eſt candidum guttatis pennis, quod Herodium dicunt. Sunt & Hierofalchi Ardearum hoſtes, & ſacri, & peregrini, quos antiquorum Principum luxus in aucupijs non agnouit. Vltra eos, quos modò nominaui populos, Moſchouitis Regibus tributa pendentes, aliæ ſunt nationes extremæ hominum, nulla certa Moſchouitarum peregrinatione cognitæ, quando nemo ad Oceanum peruenerit, ſed fama tantùm ac ipſis plerunque fabuloſis mercatorum narrationibus auditæ. Satis tamen conſtat, Diuidnam innumerabiles trahentem amnes, ingenti curſu ad Aquilonem deferri, maréque ibi eſſe longè uaſtiſsimum: ita, ut illinc ad Cathayum legendo oram dextri littoris niſi terra interſit, nauibus perueniri poſſe certiſsima coniectura credendum ſit. Pertinent enim Cathayni ad extremam Orientis plagam ad Thraciæ fermè paralellum, Luſitanis in India cogniti, quum proximè ad coemenda aromata per regionem Sinarum, Melacham uſque ad auream Cherſoneſum nauigarint, ueſtesꝗ ex Zebellinis pellibus attulerint, quo uel uno argumento non longè ab Scythicis littoribus Cathayum urbem abeſſe putamus. Cæterùm quum à Demetrio quæreremus, an apud ipſos ulla de Gothis populis, uel fama per manus à maioribus tradita, uel ex ipſis literarum monumentis memoria ſupereſſet, qui ante mille annos, & Cæſarum imperium, & urbem Romam omnibus iniurijs deformatum euertiſſent: reſpondebat & Gothicæ gentis, & Totilæ Regis nomen clarum eſſe atque illuſtre, in eamꝗ expeditionem coiuiſſe plures populos, & ante alios Moſchouitas, creuiſſeꝗ eum exercitum ex colluuie Liuoniorum & Circumuolganorum Tartarorum, ſed propterea omnes Gothos fuiſſe appellatos, quoniam Gothi qui inſulam Iſlandiam ſiue Scandauiam incolerent, authores eius expeditionis extitiſſent. Iis maximè finibus Moſchouitæ ex omni parte clauduntur, quos Modocas Ptolemæo fuiſſe credimus, hodie autem à Moſcho amne haud dubiè ſic dicti, qui & Regię urbi quam interfluit, ſuum quoque nomen indiderit. Ea eſt omnium Moſchouiæ urbium longè clariſsima, tum ſitu ipſo, qui regionis medius eſſe exiſtimatur, tum inſigni fluminum opportunitate, domorumꝗ frequentia, & munitiſsimæ arcis celebritate. Oblongo etenim ædificiorum tractu, ſecundum Moſchi fluminis ripam ad ſpatium quinque miliarium extenditur. Domus in uniuerſum ſunt ligneæ, diſtinctæ in triclinia, coquinas, & cubilia, capacitate amplæ, nec ſtructuris enormes, aut nimium depreſſæ: trabes enim ingentis magnitudinis ab Hercynia ſylua ſupportantur, quibus ad rubricæ lineam delibratis, & contrario ordine inter ſe ad rectos angulos coniunctis & confibulatis, exteriora domorum ſepta ſingulari firmitate, nec multa impenſa, & ſumma celeritate conſtituuntur. Domus fermè omnes, & ad uſum olerum, & ad uoluptatem priuatos habent hortos, unde raræ urbis circuitus longè maximus apparet. Singulæ regiones ſingula habent ſacella, ſed conſpicuè in loco templum eſt Deiparæ Virgini dicatum, celebri ſtructura atque amplitudine, quod Ariſtoteles Bononienſis mirabilium rerum artifex, & machinator inſignis, ante ſexaginta annos extruxit. Ad ipſum urbis caput, Neglina fluuiolus qui frumentarias agit molas, Moſchū amnē ingreditur, peninſulámque efficit, in cuius extremitate arx ipſa cum turribus ac propugnaculis admirabili pulchritudine Italorum architectorum ingenio conſtructa eſt. In ſubiectis urbi campis capreolorum & leporū incredibilis multitudo reperitur, quos nemini plagis & canibus ſectari

licet,

licet, niſi Princeps id ad uoluptatem intimis familiaribus uel peregrinis legatis indulſerit. Tres fermè urbis partes duobus alluuntur fluminibus, reliqua uerò, latiſsima foſſa, atque ea multa aqua ex ipſis amnibus corriuata præcingitur. Vrbs etiam ab aduerſo latere alio flumine quod Iauſa dicitur, munita eſt, id pariter in Moſchum paulò infra urbem euoluitur. Porrò Moſchus ad Meridiem excurrens in Ocham amnem multo maiorem, apud oppidum Co lumnam ſeſe effundit, nec magno inde itineris ſpatio Ocha ipſe, & ſuis & alienis undis magnus & tumens exoneratur in Volgam, ubi ad confluentes ſitum eſt oppidum Nouogrodia minor, de nomine maioris urbis ex qua deducta eſt ea colonia, nuncupatum. Oritur Volga qui antiquitus Rha fuit, è magnis uaſtiſque paludibus qui candidi lacus appellantur. Sunt eæ ſupra Moſcham inter Aquilonem & Corum, emittúntque cunctos fermè amnes, qui diuerſas in regiones diffunduntur, uti de Alpibus uidemus, è quorum iugis ac fontibus Rhenum, Padum ac Rhodanum, innumerabiléſque minores fluuios manare, compertum eſt. Siquidem eæ paludes pro montibus perenni ſcaturigine, humorem affatim præbent, quum nulli omnino montes ea in regione multa etiam hominum peregrinatione reperiantur, ita ut Ripheos mon tes & Hyperboreos toties ab antiquis celebratos, plerique Coſmographiæ ueteris ſtudioſi, penitus fabuloſos eſſe arbitrentur. Ex ijs itaque paludibus, Diuidna, Ocha, Moſchus, Volga, Tanais atque Boryſthenes oriuntur. Volgam Tartari Edilum, Tanaim uerò Don appellant: ipſe Boryſthenes, Neper hodie nuncupatur. Hic paulò infra Tauricam in pontum Euxinum decurrit. Tanais autem à Meoti palude, ubi Azoum eſt nobile emporium, excipitur. Volga uerò ad Meridiem Moſcham urbem relinquens, uaſto circuitu ingentibusq; mæandris primò ad Orientem, mox in Occaſum ac demum ad Auſtrum magna aquarum mole præcipitatus in Hyrcanum mare deuoluitur. Supra eius oſtium urbs eſt Tartarorum nomine Cytracham, ubi à Medis Armenijsq; & Perſis mercatoribus nundinæ celebrantur. In ulteriore Volgæ ripa Tartarorum oppidum eſt Caſanum, à quo Caſaniorum Horda nomen ducit, diſtat à Volgæ oſtio Caſpioq; mari quingentis millibus paſſuum. Supra Caſanum autem centeſimo & quinquageſimo miliari ad ingreſſum amnis Suræ, Baſilius qui nunc regnat, Surcicum oppidum condidit: ut in ea ſolitudine mer catoribus ac uiatoribus, qui de rebus Tartaricis ac eius inquietæ gentis motibus proximos finium præfectos certiores reddunt, certa & tuta manſio cum tabernis hoſpitalibus ſtatueretur. Moſchouitarum imperatores uarijs temporibus, uti ex uſu præſentium rerum fuit, uel libido, noua ac obſcura loca nobilitandi longius pertraxit, apud diuerſas urbes Imperij atque aulæ ſedem habuêre. Siquidem Nouogrodia quæ Caurum & Solem, & ferè Occidentem ſpectat uerſus Liuonium mare, non multis antè annis totius Moſchouiæ caput fuit, ſummamq; ſemper obtinuit dignitatem, propter incredibilem ædificiorum numerum, latiſsimiq; & piſcoſi lacus opportunitatem & uetuſtiſsimi ac uenerabilis templi famam, quod ante quadringentos annos Byzantiorum Cæſarum æmulatione, ſanctæ Sophiæ Dei filio Chriſto dicatum fuit. Nouogrodia perpetua quaſi hyeme & tenebris longiſsimarum noctium premitur: nam Polum Arcticum ab Orizōte ſexagintaquatuor gradus eleuatum uidet, ſex ferè gradibus ipſa Moſcha ab Aequatore remotior, qua cœli ratione ſolſtitij tempore propter exiguas noctes continuatis ferè ſolis ardoribus æſtuare

perhibetur. Vrbs quoque Volodemaria Regiæ nomen adepta est, quæ ad Ortum solis ducentis amplius miliaribus à Moscha distat, eoq; sedem Imperij ab strenuis Imperatoribus necessaria ratione translatam ferunt, ut ex propinquo, quum tum bella continenter cum finitimis gererentur, paratiora præsidia aduersus Scytharum irruptionem opponerent. est enim citra Volgam in ripis Clesmæ amnis sita qui in Volgam euoluitur. Cæterùm Moscha, uel ob eas quas diximus dotes, Regiæ nomine dignissima iudicatur, quoniam medio quodam totius frequentioris regionis ac Imperij loco sapientissimè constituta, munitaq; arce & fluminibus, consensu omnium, præcellentiæ meritam laudem honoremq; nulla ætate defuturum sibi uendicasse cæterarum urbium collatione uideatur. Distat Moscha ab urbe Nouogrodia quingentis millibus passuum, medióque fermè itinere Ottoferia Volgæ amni imposita occurrit. Is amnis uti fonti proximus, nondum receptis tot amnibus, exiguus lenísque permeat; inde per nemora & campestres solitudines Nouogrodiam peruenitur. Porrò à Nouogrodia ad Rigam proximum Sarmatici litoris portum, paulominus quingentorum miliarium iter est. Isq; tractus superiore commodior putatur, quum frequentes habeat uicos, urbemq; Plescouiam uiæ impositam, quam duo amnes complectuntur. Ab Riga autem, quæ magni magistri militiæ Liuoniorum ditionis est, ad Lubecã Germaniæ portum in sinu Cymbricæ Chersonesi, miliaria paulo plus mille periculosæ nauigationis numerantur. Ab urbe Roma uerò Moschã duob. millibus & sexcentis miliaribus distare cõpertum est, breuissimo scilicet itinere euntibus per Rhauennã Taruisium, Carnicas alpes, Villacumq; Noricum, & Viennã Pannoniã, atq; inde superato Danubio per Olmutium Morauorum usq; ad Cracouiam Poloniæ regiam, mille & centum miliaria existunt. Ab ipsa uerò Cracouia ad Vilnam Lithuaniæ caput, quingenta: & totidem ab ea urbe ad Smolenchũ ultra Borystenẽ situm, & à Smolencho ad Moscham sexcenta cõputantur. Verùm id iter, quod est à Vilna & Smolenchum ad Moscham, hyeme per niues longo concretas gelu, lubricamq;, sed multo attritu solidatam glaciẽ expeditis in curribus incredibili celeritare conficitur: æstate uerò nisi difficili laboriosoq; itinere campestria superari nequeunt. Nam ubi niues perpetuis solibus dissolui eliquaríque cœperĩnt, in Paludes cœnosasq; uoragines abeunt, uiris pariter, & æquis inextricabiles, nisi ligneis pontibus infinito propè labore consternentur. Terra Moschouia in uniuersum, neque uitem, neque oleam, neque paulo suauioris pomi frugiferam arborem pæter melopepones & cerasa producit, quum tenuiora quæque gelidissimis Boreæ flatibus exurantur. Campi tamen tritici, siliginis, milij, paniciq;, & omnis generum leguminum segetes ferunt, sed certissima messis in cera & melle consistit. Regio enim tota fœcundissimis apibus plena est, quæ non in manufactis agrestium aluearibus, sed in ipsis arborum cauis probatissima mella conficiunt. Hinc per syluas, & opacissimos saltus, frequentia, ac nobilia apum examina ramis arborum pendentia uidere est, quæ nullo æris crepitu colligere sit necesse. Reperiuntur sæpe fauorum ingentes massæ arboribus conditæ, ueteraq; mella deserta ab apibus, quum singulas arbores, in uastis nemoribus rari agrestes minimè perscrutentur, ita ut in admirandæ crassitudinis arborum stipitibus, permagnos mellis lacus aliquando reperiãt. Retulit & cum multo omnium risu Demetrius legatus, ut est ingenio comi & faceto, proximis annis uiciniæ suæ agricolam, quærendi mellis causa in prægrandem

grandem cauam arborem ſupernè deſilijſſe, eúmque profundo mellis gurgite pectore tenus fuiſſe hauſtum, ac biduo uitam ſolo melle ſuſtinuiſſe, quum uox opem implorantis in ea ſyluarum ſolitudine, ad uiatorum aures penetrare nequiuiſſet, ad extremum uerò deſperata ſalute mirabili caſu, ingentis urſæ beneficio inde extractum euaſiſſe, quum fortè eius beluæ ad edenda mella more humano, ſe demittentis, auerſos renes manibus comprehendiſſet, & eam ſubito timore exterritam ad exiliendum tum tractu ipſo, tum multo clamore concitaſſet. Nobile quoque linum, & cannabum in reſtes, multáque item boum tergora, & maſſas ceræ ingentes Moſchouitæ in omnem Europæ partem mittunt. Nulla auri argentiúe uel ignobilioris metalli, ferro excepto, apud eos uena, ſecturaúe reperitur: nullúmque eſt tota regione uel gemmarum, uel precioſi lapilli ueſtigium. Ea omnia ab externis populis petunt: naturæ tamen iniuria, quæ tot bona prorſus inuiderit, uno pellium nobiliſsimarum mercimonio reſarcitur, quarum precium incredibili hominum cupiditate & luxu adeò creuit, ut in ſingulas ueſtes ſuffulturæ, mille aureis nummis ueneant. Fuit autem tẽpus quo hæc uilius emebantur, quum remotiſsimæ Septentrionis nationes politioris cultus, noſtræq; adeò anhelantis luxuriæ penitus ignaræ ſumma ſimplicitate, eas uilibus ac ridiculis ſæpe rebus permutarent, ita ut vulgo Permij atque Pecerri, tantum pellium Zebellinarum pro ferrea ſecuri rependerent, quantum earum ſimul cõnexarum ipſo ſecuris foramine, quo manubrium induitur, Moſchouitæ mercatores extrahere poterant. Ante quingentos annos Moſchouitæ gentilium deos coluêre, Iouem ſcilicet, Martem, & Saturnum, & pleroſque alios quos ſibi inſano errore hominibus ex induſtrijs, aut regibus antiquitas finxit. Tũc uerò primùm Chriſtianis ſacris initiati, quũ Græci Antiſtites haud ſatis cõſtantibus ingenijs à Latinorum eccleſia diſſentire cœperunt: factúmq; eſt, ut Moſchouitæ eos religionis ritus, quos à Græcis doctoribus accepiſſent, ijſdem ſenſibus, & ſinceriſsima quidem fide ſequerentur. Spiritum enim ſanctum tertiam in diuina Trinitate perſonam, à patre Deo ſolùm produci perſuaſum habent, quum rectiſsima ueritate à patre ſimul Chriſtoq; filio proficiſci credendum ſit. Verùm ea controuerſia apud Conuentum Florentinum præſidente Eugenio quarto Pont. magna partium contentione agitata, eum exitum habuit, ut pertinacia Græcorum in ſermone potius quàm in ſenſu caſtigãda uideretur, quum Græci Antiſtites euidentiſsimis conuicti rationibus, Spiritum ſanctum à patre per Filium produci faterentur. Sacramentũ quoque non ex azimo, uti iure debemus, ſed fermentato pane conficiunt, idq; ſub utraque ſpecie, ſicuti ſoli apud nos ſacerdotes, panis ſcilicet diuiníque ſanguinis, ab eorum presbyteris uniuerſo populo communicatur, quo maximè errore imbuti Boemi, paulo ante patrum noſtrorum memoriam à Latinorum eccleſia deſciuerunt. Cæterùm quod ualde alienum à Chriſtiana religione eſſe uidemus, nullis ſacerdotum ſuffragijs, nulláque propinquorum, aut amicorum pietate iuuari mortuorum manes arbitrantur, fabuloſumq; eſſe purgatorij locum putant, è quo tandem piorum animæ, cùm diuturnæ ignis pœna, tum multis parentationibus indulgentiáque ſummorum Pontificum expiatæ, immortalium felicitatem beata in cœli ſede conſequantur. Cæteris in rebus eaſdem ferè ceremonias tenent, quæ à Græcis uſurpatæ ſunt, Romanámque eccleſiam cæterarum omnium principatum obtinere, ſuperbè & peruicaciter negant, ſed ante alia, Iudæorum genus uel memoria quidem hor-

rent, nec eos intra fines admittũt ueluti pessimos atq; maleficos homines, qui etiam nouissimè Turcas aenea tormẽta conflare docuerint. Christi uitę miraculorumq; omnium historia ab Euangelistis quatuor conscripta, itemq; Pauli epistolae, dum sacra fiũt, è suggestu clariore uoce recitãtur, probataeq; uitae sacerdotes homelias Ecclesiae doctorũ publicè legunt, etiã ijs horis quibus sacra minimè conficiuntur: nõ enim oratores cucullatos, qui aduocato populo concionari, & ambitiosè nimis atq; subtiliter de diuinis differere soliti sunt, admittere fas putãt: quoniã rudes imperatorum animos simplici potius doctrina, quàm altissimis arcanorũ interpretationib. ad sanctiorem morũ frugẽ euadere, uiri solidae religionis arbitrantur. Hos, quos modò diximus, sacros libros, itemq; noui ac ueteris instrumẽti enarratores praeterea Ambrosium, Augustinũ, Hieronymum atque Gregorium, in linguam Illyricam traductos habent, religioseq; custodiunt. Antistites principesq; minorum sacerdotum singulis urbibus, pagisq; praefecti sacra curant, cõtrouersias dirimunt, & morib. deprauatos summa quadam uindicandi potestate persequuntur. Regem sacrorum quem ipsi Metropolitam uocant, à Constantinopolitano Patriarcha petunt. Archimandritae autem & Episcopi, coniectis in urnam meliorum nominibus, sorte ducuntur. Eorum uerò hominum qui humanis cupiditatibus ultrò renunciarũt, diuinarũq; rerum contemplationi & sacrorũ ministerio sese dedicarũt, duplex est genus, utrunque coenobia incolit, sed alterum est uagum & paulò solutioris uitae, sicuti apud nos diuorum Francisci atq; Dominici sectam profitentes, alterũ constat ex sanctioribus monachis, quorũ ordinẽ diuus Basilius instituit: ijs ne limine quidẽ uel in suprema uitae necessitate, pedẽ efferre fas est. Procul enim ab oculis profanorum singulari duritie uitam in occultioribus adytis degunt, summãq; subactae carnis & confirmati in religione animi opinionẽ praebent. Vniuersus populus quater in anno & pluribus semper diebus ieiunare consueuit, abstinetq; ab usu carnium, ouorum & lactis. In Vere primùm, more Latino post diem Cinerum, mox adulta Aestate in honorem diuorum Petri & Pauli, & initio Autumni demum, quum assumptae in coelum Marię uirginis memoriam celebramus, postremò sub ipsam Hyemem, quum aduentus Domini pronunciatur. Per hebdomadã uerò, diem Mercurij sine carnibus, diem autem Veneris sine ouis lacteq; traducunt, sed Saturni dies mẽsa omnibus obsonijs opiparè referta, hilariter excolitur. Caeterùm secus ac nos solemus nullas festorũ dierum uigilias obseruãt. Religiosissimè tẽpla uenerãtur, adeò ut ea neq; uiros neq; foeminas Venereis pollutos cõplexibus intrare fas sit, nisi prius priuatis balneis abluantur. Saepeq; accidit, ut complures utriusq; sexus sacra audientes extra limen consistant, & propterea à petulcis iuuenibus recẽtis incontinẽtiae notati, facetis aliquando nutibus salutentur. In ipso natali die Ioannis Baptistae, & in Paschate trium Magorũ, presbyteri sacratos panes paruos toti populo largiuntur, quorũ esu febribus conflictatos alleuari existimãt. Alia quoq; sacra, certo anni tempore apud flumina gelu concreta celebrantur. In ripa tabernaculum constituunt, & aduocata nobilitate, hymnos numeroso concentu pronunciant, sacraeq; lymph aemulta aspergine profluentem purificant, & solenni ceremonia stratum & consecratum circuncisa & reuulsa glacie protinus aperiunt. Iis rebus ritè confectis, si qui adsunt languentes uel morbosi in flumen desiliunt, & sacris aquis abluuntur, quũ ob id elui morborum sordes persuasum habeãt. Defuncti, uti apud nos, mediocri funeris põpa comitãtibus

tibus

tibus presbyteris efferuntur, capite mappa uelato. Cęterùm non in templis, uti apud nos, impia propè, uel abominabili certè corruptela uſurpatum eſt, ſed in ſeptis ac exterioribus templorũ ueſtibulis ſepulturæ traduntur, ijsꝗ more noſtro quadragenis diebus parẽtant: quòd certè mirum uidetur quum in Purgatorio loco expiari animas, & criminum pœnam ullis amicorum ſupplicijs, ulloꝗ pietatis officio mitigari penitus negent. In cæteris eadem, quæ à nobis de religione ſentiuntur, conſtantiſsimè credunt. Moſchouitæ Illyrica lingua, Illyricisꝗ literis utuntur, ſicuti & Sclaui, Dalmatę, Boemi, Poloni, & Lithuani. Ea lingua omnium longè latiſsima eſſe perhibetur: nam Cõſtantinopoli Ottomanorum in aula familiaris eſt, & nuper in Aegypto apud Memphiticum Sulthanum & equites Mamaluchos haud ingratis auribus audiebatur. In hãc linguã ingens multitudo ſacrorum librorum, induſtria maximè diui Hieronymi & Cyrilli, translata eſt. Præter quoque patrios annales, Alexãdri etiam Magni, Romanorumꝗ Cæſarũ, itemꝗ M. Antonij & Cleopatræ memoriam ijſdem literis commendatam tenent. Philoſophiam uerò & ſyderalem ſcientiam, cæterasꝗ diſciplinas & rationalem medicinam nunquam attigêre, ijꝗ pro medicis ſe gerunt, qui alicuius paulo ignotioris herbæ uires, ſe pluries obſeruaſſe profitentur. Anni apud eos non à natali Chriſti ſed ab ipſo mundi initio numerantur, qui non à menſe Ianuario ſed à Septembri incipiunt. Leges toto regno habent ſimplices, ſumma Principum & iuſtiſsimorum hominum æquitate cõditas, & propterea populis ualde ſalutares, quoniam eas ullis Cauſidicorum cauillationibus interpretari, atque peruertere non licet. De furibus, ſicarijs & latronibus ſupplicium ſumunt. Quum de maleficijs quæſtionem habent, reos multa gelida aqua ſupernè demiſſa perfundunt, quod intolerãdum tormenti genus eſſe perhibent. Nonnunquam obduratis & contumacibus, ut cõfeſsio criminis exprimatur, ligneis cuneolis digitorum ungues cõuelluntur. Iuuentus omnis uarijs ludis ſed militię proximis ſeſe exercet, in ſtadio curſu cõtendit, in palæſtra colluctatur, pernicitati equorum ſtudet, omnibusꝗ præmia & præſertim ſagittariorum peritiſsimis proponuntur. In uniuerſum Moſchouitæ ſtatura ſunt mediocri, ſed quadrata & ualde toroſa, cæſij omnibus oculi, prolixè barbæ, crura breuia & uentres extenti. Equitant contractis admodũ cruribus, & peritiſsimè uel auerſi & fugientes ſagittas emittunt. Domi opiparè potius quàm lautè uiuunt: namque omnium fermè cibariorum, quę uel à luxurioſiſsimis deſiderari poſſunt, menſæ eorũ & paruo quidẽ pretio paſsim inſtruuntur. Gallinę ſiquidem & anates ſingulis ſæpe argenteolis tenuibus nummis ueneunt: maioris minorisꝗ pecoris incredibilis eſt copia, & occiſæ media hyeme iuuẽcę, concretis gelu carnibus duorũ ferè mẽſium ſpatio nõ putreſcũt. Venatione & aucupio, uti apud nos, nobiliora obſonia parantur: nam uenaticis canibus, & plagis omnis generis feras capiũt, & aſturibus, atꝗ falconibus quos mirificos regio Pecerra prębet, nõ modò phaſianos & anates, ſed cycnos & grues conſectantur. Aſtures ex genere infimo aquilarum, uel miluorũ: falcones uerò accipitrũ nobile genus antiquis fuiſſe putamus. Capitur quoꝗ auis ſubnigra, puniceis ſupercilijs, magnitudine anſeris, quæ pulparũ ſapore phaſianorũ ſuperat dignitatẽ. Moſchouitica lingua Tetrao nũcupata, quæ Plinio Erythratao uocatur, Alpinis populis cognita, & maximè Rhætis, qui ſaltus ad Abduæ amnis fontes incolunt. Ingẽtes etiã ſapidiſsimosꝗ piſces, & ante alios ſturiones, quos ſiluros antiquitus fuiſſe putamus, Volga præbet, & ij quidem

hyeme multa incluſi glacie, recentes pluribus diebus aſſeruantur. Aliorum ue-
rò piſcium multitudinem fermè incredibilem, ex candidis, quos diximus, lacu-
bus expiſcantur. Vino natiuo quum penitus careant, aduectitio uti ſolent, ſed
in feſtis conuiuijs tantùm, & ſacrificijs. Ante alia Creticum ſubdulce, maximo
in honore habetur, ſed in uſum medicinæ tantùm, uel principalis luxurię oſten
tationem, quum miraculi loco ſit, eductum Cretà per Gaditanas fauces, & tan
tis concluſi maris, Oceaniq; fluctibus agitatum incorrupta ſuauitatis ac odo-
ris dignitate, inter Scythicas niues ebibiſſe. Populus uerò Medonem bibit ex
melle lupulisq; decoctum, quod picatis in cadis ueteraſcit, & ex antiquitate no
bilitatem adſequitur. In uſu quoque ſunt birra atque ceruiſia ſicuti apud Ger- 1.
manos Polonosq; uidemus, quę ex tritico, zeaq;, uel ordeo decoctis, omni con
uiuio circumferuntur. Hanc quadam cognata cum uino poteſtate, largius cõ-
potantibus ebrietatem inducere adfirmant. Medonem ac birram per æſtatem
infrigidare infuſa poculis glacie, uoluptatis gratia ſolent: nam ingentia glaciei
fruſta nobiliũ in cellis ſubterraneis ſingulari ſtudio reconduntur. Sunt, & qui
in delitijs habeãt ſuccũ ex ſubauſtris ceraſis expreſſum, qui perſpicui, & purpu
riſantis uini colorẽ, & ſaporem iucundiſsimum refert. Vxores & fœminas non
in eo honore ſunt apud eos uti apud cæteras gentes: nam propè ancillarũ loco
habentur. Viri inſignes earum ueſtigia mirum in modum obſeruant, & pudi-
citiæ diligentiſsimè cauent. Non enim adhibentur conuiuijs, neq; ſacrorũ cau- 2.
ſa remotiora templa petere, aut temerè in publicum egredi permittuntur. Cæ-
terùm uel ab externis hominibus & exiguo quidem pretio ad Venerem omne
vulgus fœminarum facilè pellicitur, adeò ut parum earum amoribus ſtudere
uiri nobiles exiſtimentur. Baſilius antè uiginti annos Ioannem patrem amiſit.
Is Sophiam Thomæ Paleologi qui latè in Peloponneſo imperabat, Conſtan-
tinopolitaniq; Imperatoris erat frater, uxorem duxit. Ea tum Romæ erat Tho-
ma patre Turcarũ armis Græcia pulſo, ex hac quinque liberi felici fœcundita-
te ſuſcepti, ipſe Baſilius, Georgius, Demetrius, Simeon, & Andreas. Demetrio
& Simeone iã pridem morbo abſumptis, Baſilius Salomoniã Georgij Sobo-
rouij, eximiæ fidei atq; prudẽtiæ cõſiliarij filiam in matrimoniũ ſibi collocauit: 3.
cuius fœminę ſingulares uirtutes una ſterilitas obſcurat. Solent autẽ Moſcho-
uitę quum de uxore ducẽda deliberant, omniũ toto Regno puellarum uirginũ
delectum habere, ac forma, uirtuteq; animi prę ſtantiores ad ſe perduci iubere,
quas demum per idoneos homines, fideleſq; matronas inſpiciunt, ita diligen-
ter, ut ſecretiora quoq; ab ijs contrectari explorariq; fas ſit. Ex ijs uero magna,
at ꝓ ſolicita parentũ expectatione, quæ ad Principis animum reſponderit re-
gijs nuptijs digna pronunciatur. Cæteræ uerò, quæ de formæ pudicitiæq;, &
morũ dignitate contenderant, ſæpe eadem die in gratiam Principum, proceri-
bus atq; militibus nubunt, ſicut mediocri loco natæ plerunq;, dũ Principes, re
giæ ſtirpis clara ſtemmata contemnunt, ad ſummum regalis thori faſtigiũ; uti 4.
& Turcas Ottomãnos ſolitos eſſe uidemus, pulchritudinis auſpicijs euehan-
tur. Baſilius quadrageſimũ ſeptimum ætatis annũ non attingit, ſpecie corporis
eximia, animi uirtute ſingulari, ſuorumq; ſtudio, ac beneuolentia & rebus ge-
ſtis, progenitorib. ſuis anteferẽdus. Nam quum per ſex annos cum Liuonijs,
qui ſeptuaginta duas urbes fœderatas in eius belli cauſam trahebant, armis cõ
tendiſſet, paucis legibus datis potius quàm acceptis, uictor diſceſsit. Polonos
quoque initio ſtatim ipſius Imperij acie profligauit, Conſtantinũq; Ruthenũ
copiarum

copiarum ducem captum, & catenis uinctum Moscham perduxit. Sed ipse aliquanto post ad Borysthenem supra Orsam urbem, ab eodẽ Constantino, quẽ dimiserat, magno prælio est superatus: ita tamen ut Smolenchũ oppidũ quod antea Moschouitæ occuparant, post tãtam etiam uictoriam à Polonis partam, in ditione Basilij relinqueretur. Sed aduersus Tartaros & maximè Europæos Præcopitas, sæpius secundo prælio à Moschouitis est dimicatum, ulciscendis fortiter iniurijs, quas illis repentinis incursionibus intulissent. Supra enim centum & quinquaginta milia equitum Basilius ad bellũ ducere consueuit, distinctis per uexilla turmis, quæ suos duces sequuntur. Regiæ alæ uexillo inscripta est Iosuæ Hebræi imago illius, qui ut sacræ referunt historiæ, à Deo maximo longissimum diem, retardato solis cursu pijs precibus impetrauit. Pedestres copiæ nullo propè usui sunt in illis uastis solitudinibus, tum ex ipsa ueste quæ fluxa talarisꝗ est, tũ ex hostium consuetudine, qui cursu potius & equitandi celeritate, quàm ui statariæ pugnæ, uel ipso congressu militiam exercent. Equi eorum statura infra mediam existunt, sed robusti & uelocissimi habẽtur. Equites præpilatis hastis, clauisꝗ ferreis & sagittis rem gerunt. Paucis falcati sunt gladij. Corpora uerò clypeis rotundis, ut Asiatici Turcæ, uel inflexis & angularibus parmis, more Græcorum, itemꝗ lorica & galea pyramidali proteguntur. Basilius etiam sclopettariorum equitum manum instituit, multaꝗ ænea tormẽta Italorum fabrorũ artificio conflata, suisꝗ imposita curribus in arce Moschæ uisuntur. Ipse insigni apparatu & singulari comitate, qua tamen regia maiestas nulla ex parte corrumpitur, publicè cum proceribus atꝗ legatis epulari solet, magnumꝗ inaurati argenti põdus duobus abacis expositum eodem triclinio conspicitur. Nullã prætoriani militis cohortẽ, præter ipsam familiam corporis custodiæ causa, circũ se habere uel alibi alere consueuit. Ab urbana enim fideli multitudine stationes habẽtur: nam unaquæꝗ urbis regio, foribus, cancellisꝗ sepitur, nec temerè per noctẽ, aut sine lumine in urbe uagari licet. Aula omnis constat ex regulis & ex ipso militum delectu, qui per statos mensium circuitus, frequentandæ, nobilitandæꝗ regiæ causa per uices ad implenda comitatus officia, è singulis regionibus accersuntur. Porrò exercitus omnis quum bellum ingruit, uel hostibus indicitur, ex euocatis ueteranis, nouisꝗ prouinciarũ delectibus cogitur: nam cunctis in urbibus præfecti militiæ iuuentutem inspiciunt, idoneosꝗ in ordines militum transcribunt, quibus ex ærario prouinciarum, certa pacis tempore, sed ea quidem exigua stipendia persoluũtur. Verùm qui militant, immunitate uectigalium gaudent, & cæteris paganis præstãt, regiaꝗ gratia omnibus in rebus potentes existunt: patescit nanꝗ ueræ uirtuti nobilis locus, quum bellum geritur, siquidem egregio & in omni rerũ administratione salutari instituto, ad suum quisque spectatum facinus, uel perpetui præmij uel ignominiæ sempiternæ fortunam adsequitur.

FINIS.

BENEDICTI LAMPRIDII.

Hos dono Iouius mittit tibi Rufe labores,
Anfractus longos, & spatia ampla maris.
Hæc quoniam nemo melius te iudicet, unum
Vlla nec terra, nec maria ulla latent.
Magna quidem Iouius donat tibi Rufe, sed ipse,
Longè maiori munere dignus eras.

PAVLI IOVII
DESCRIPTIO LARII LACVS.

DIONISIVS SONENTIVS Nicolao Sfondrato, Comiti Riperiæ, Regioq; ſenatori ampliſſ. S. D.

VM proximis ſuperioribus diebus Larium mihi lacum adire contigiſſet, illuc ab ampliſſ. ordine ueſtro tui gratia miſſus, ut quorundam maleficorum hominum, homicidij reorum ditionis tuæ cauſam cognoſcerem, magna animi uoluptate uiridem illum, & uerè gemmeum lacum inſpexi, pulchritudinem, eius totiusq; oræ illius amœnitatem, crebra oppida, frequentesq; populos admiratus: inter alia ad aſpectum Bilatij, eiusq; altiſsimi promontorij, duos uel potius tres lacus proſpectantis, obſtupui. Adeò tenet animum uarijsq; modis afficit, & delectat longiſsimus ille tractus aquarum, dextra lęuaq; iucundiſsimum oculis ſpectaculum prębens. Quid dicam de magnificentiſſ. ædibus ac Regijs, quas ad medium ferè collẽ habes, quamtumuis numeroſæ familiæ capaces? quid de perenni ſaluberrimaq; in ſuperiore mõtis parte aqua? quid de pulcherrimis hortis à citreorum & medicorũ pomorum amœnitate beatiſsimis? Quid de toto colle, ficu, olea, cuiuſuis generis fœcundis arboribus uiteq; in primis generoſo uino exuberante, ueſtito atque ornato? Vt prætercam mirabilem illum aditum, aſcenſumq; ab imo lacu ad ſummum montis per ſcalas, quæ per octingentos amplius gradus miro artificio è duriſsimo lapide fabricatos facilem aſcendentibus uiam præſtant. Ad ſummam, nunquam aliàs iucundiorem uidi locum: quem tu per iocum, cum me ſatietas humanarum rerum ceperit, gratiſsimam mihi ſedem, laborumq; quietem deſtinas, ac offers. Munere illo functus domum cum redijſſem, tibíque quid mihi de regione illa uiſum foret, percunctanti, quantam cepiſſem uoluptatem, expoſuiſſem, dixiſti uelle te mihi delectationem eandem renouare, oculíſque loca eadem ſine ullo uiæ labore ſubijcere, proferríque ſtatim ex bibliotheca tua Pauli Iouij libellum quendam iuſsiſti, quo ille iucundè ſimul & eleganter totius Larij lacus amœniſsimum ſitum, locorum ac hominum utranque ripam habitantium, nomen ingeniumq; deſcribit. Hunc ille libellum in gratiã patris tui uiri clariſsimi, & nunquam ſatis laudati, olim ſcripſerat. Auidè paucis horis totum perlegi, uiſusq; mihi dignus eſt, qui publicè cunctis legendus præberetur, pulchrumq; in primis tibi, & honorificum eſſe iudicaui, ſi in manus hominum exiret. Magna enim ex parte in deſcribenda ditione tua eſt occupatus, quam ad Larij dexteram ripam magnam amplamq; ſumma cum dignitate obtines, & iuſtiſsimè regis. Rectè itaque iudicio meo feceris, remq; tibi ac nobiliſsimę familiæ tuæ honorificam, ſi tam elegantis opuſculi copiam orbi quamprimum impertiueris. Quod te facturum ſumma prudentia tua, amoreq; erga cuncta ſtudiorum genera mihi facilè perſuadeo. Vale. Mediolani, Calendis Iunij, 1558.

PAVLI

PAVLI IOVII
LARIVS LACVS.

AD FRANCISCVM Sfondratum.



OMENSEM Lacum, Francisce Sfondrate senator amplissime, ab Etruscis Larium, uti omnium Italiæ principem, antiquitus appellatum fuisse, Cato in Originibus tradit. Ad quod Virgilius Maro, antiquitatum eruditissimus, quum in Georgicis, TE LARI MAXIME, diceret, allusisse uidetur. Eius oram, in qua eximiæ nobilitatis tetrarchiam tibi & posteris tuis uirtute quæsiuisti, periucunda nauigatione percurrimus, annotauimusq; diligenti commensuratione utrinque littora lambendo, sinus, promontoria, peninsulas, fontes, sigillatimq; oppida & uicos, ac in his quæ literarum memoria, & laude digna uidebantur, ut id, quod à me proximis diebus optimo iure postularas, cumulatè, nec sine celeritatis gratia solueretur. Efficit autem Larium, aut certè in immēsum adauget Abdua, limpidissimus amnis, qui ab Abdua monte, à quo nomen accipit, excelso Rhæticarum Alpium iugo delapsus, raptis secum multis torrentibus in Larium per Volturenam uallem exoluitur. Adulam pro Adua corruptè legimus apud Ptolomæum: nam ex ea uox Græcè inaccessum significat, ita ut hinc liquido constet, montem à Græcis nomen accepisse. Is enim & hodie Graius appellatur, maximorum amnium fontibus nobilis, siquidem Danubij Rheniq; origines, in aduersa Aduę regione referuntur. Adiacet Graij radicibus Burnium oppidum, ad urbis effigiem maximè turritum, aquarum calidarum balneis ad pituitæ morbos percelebre: nec multum inde absunt Abduæ fontes, argenti fodinæ, secturæq; ferrariæ, & in rigentibus gelu cautibus crystallus, pari periculo, quæstuq; à montanis hominibus colligitur. Has Aduæ rupes Claudianus Poeta, quum Stiliconem aduersus Gothos armato exercitu in Germaniam penetrantem celebraret, iucundissimè descripsit his uersibus:

Protinus umbrosa uestit quà littus oliua
Larius, & dulci mentitur Nerea fluctu,
Parua puppe lacum præteruolat ocyus, inde
Scandit inaccessos brumali sidere montes.

Et alio in loco,

Sublimis in arcton
Prominet Hercyniæ confinis Rhætia sylua,
Quæ se Danubij iactat Rheniq; parentem.

Et alio in loco,

Sed lacus Hesperiæ, quo Rhætia iungitur oræ,
Præruptis ferit astra iugis; panditq; tremendam
Vix æstate uiam. multi ceu Gorgone uisa
Obriguêre gelu, multos hausêre profunda
Vasta mole niues: cumq; ipsis sæpe iuuencis
Naufraga candenti merguntur plaustra baratro;

Interdum ſubitam glacie labente ruinam
Mons dedit, & trepidis fundamina ſubruit haſtis,
Pendenti maleſida ſolo, per talia tendit
Frigoribus medijs Stilico loca.

Ab his Alpibus Abdua ſexaginta millium curſu in Lariũ decurrit, mediam Voltureñam uallem proſcindens, adeò multis mæandris tortuoſus, ac ingentibus impeditus ſaxis, ut nec tutò rates ſine remige profluenti committantur. Eam uallem celebritate inſignium oppidorum & præſtantiſsimi uini fœcunditate ditiſsimam, C. Sempronio, uetuſtiſsimo Italicarum rerum ſcriptori, notã uidemus. Id uinum facilè inueteratur, & in multos ſæpe annos perdurat, fitq; 1
odoratius, quum maximè caneſcit, tanta poteſtate ut ab honore menſuram in uarios medicinæ uſus transferatur, melleo utiq; liquori, quàm perſpicuo uino ſimilius. In infima uallis parte ad oſtium Abduæ Larium influentis Volturenam urbem florentibus Etruſcorum rebus ædificatam fuiſſe, Paulus Longobardus aſſeuerat, de cuius ſitu, ruinisq; ſuo loco dicemus. Decet enim à Como patria, unde ei hodie nomen, deſcriptionem lacus exordiri. Nam portu urbis egreſsi ad læuam enauigauimus uſque ad extremum lacum, ut inde per aduerſa demum littora confecto circuitu reuerteremur. Orobiorum ſtirpem eſſe Comum, Cato in Originibus tradit. Nam Græcos, qui colonijs ſuis terrarum orbem compleuerunt, authore Cornelio Alexandro magnam Italiæ partem im- 2
perio tenuiſſe conſtat. Hi creſcentem à paruis initijs urbem, Græco nomine Comum, id eſt Vicum appellauere. Cæterùm à Gallis Senonibus, qui Etruſcos, Græcam gentem, uictricibus armis ſumma Italiæ parte depulerant, Comum adauctum, & planè conditum fuiſſe, Trogus Pompeius auctor eſt, eo ferè tempore, quo Mediolanum & Bergamum, & Brixiam ab ijſdem Senonibus ædificatas legimus. Verùm Comenſes, ſupra uetuſtatem originis, Cæſaris dictatoris magnificentia & patrocinio nobilitantur, quando incomparabili iudicio uir, opportunitate, amœnitateq; ſitus, ut credi par eſt, inuitatus in eam urbem nouos colonos deduxerit, in queis ad quingẽtos nobiles Græcos fuiſſe Appianus, & Suetonius tradunt, unde & Græcorum familia honeſtiſsimi nominis 3
apud nos adhuc uiget: & id Græcis literis inſcripti ſcilicet abundè teſtãtur. Verùm non aliunde magis claritatem appetimus, quàm ab ipſis Romanæ magnificentiæ monumentis, quæ paſsim & in urbe, & in agris uel nihil tale indagantibus occurrunt. Ea diligenti, eruditoq; ſtudio Benedicti Iouij fratris excerpta, relataq; in iuſtum uolumen, quum hiſtoriam patriam ſcriberet, apud exteras gentes lectitantur. In ædes quoq; noſtras nuper tranſtulimus ingentis epiſtylij fragmenta, Cæſariani, uti arbitror, theatri titulum cubitalibus literis lõgè pulcherrimis exprimentia, eiuſq; triumphi marmore candido cælata effigies in ampliſsima tabula è ruinis emerſit: & ad nos quoque ſumma cum uoluptate delatum eſt Cæſaris dictatoris caput, coloſſeæ propemodum ſtatuæ, habitu 4
pontificis maximi, infula uelatum, uti perſimilem uidere licet in numiſmatibus argenteis: ita ut aliquando ſperemus, ad publicam dignitatem, ex eodem loco ſtatuæ truncum, & non multis quidem operis eruturos. Orta igitur à Græcis urbs noſtra, condita à Gallis, à Romanis illuſtrata, duos Plinios æternæ dignitatis uiros protulit: & paulò ante Cæcilium poetam, Catulli ſodalis ſui carmine celebratum, Attiliúmque grammaticum, Plinij Cæcilij laude, & marmorea baſe apud nos illuſtrem. Promeruerat enim ille uirtutis & pietatis ergò à gratiſ-

à gratiſsimis ciuibus, quum liberaliter artem profeſſus, ex teſtamento uniuerſam ſubſtantiam ſuam ad rempublicam pertinere uoluiſſet. In eius baſis latere & hoc quoque præter titulos ſuauiſsimum diſtichon inciſum eſt,

Morborum uitia & uitæ malè maxima fugi:
Nunc careo pœnis: pace fruor placida.

L. quoque Fabati, qui Plinij Cæcilij proſocer fuit, eximiæ magnitudinis elogia uiſuntur. Is Fortuna, & dignitate ampliſsimus, auctore Cornelio Tacito, aduerſus Neronem orbis portentum, uel hoc uno conſilio illuſtris generoſo ſpiritu coniurarat. Et eius Caninij quoque liberalitatis marmorea monumenta extant, qui ſub Traiano bellum Dacium Græco poemate exorſus, crebris Plinij cohortationibus accendebatur, ut aliquid ederet, quod eſſet perpetuò ſuum. Neque mirum eſt, Cæſarem, hunc potiſsimum deducendæ coloniæ ſitum delegiſſe, inhabitaſſéque eam, aut frequentaſſe ſummæ claritatis uiros, quum Plinius Cæcilius, & Caſsio ad copiam rerum omnium præcellentem, ad incomparabilem ſubuectionum commoditatem, ad cœli temperiem, & denique ad ipſas humani generis delicias conſtitutam fateantur. Quicquid enim mirum in modum excultæ montium radices ferunt, quicquid ſyluoſa, excelſaq; nemora humanis uſibus præbent, quicquid in herbidis ac inſertis cœlo alpium iugis armenta progenerant, ſubiectus, & ſeruiens lacus excipit, urbiq; dominæ facili conuectione dilargitur: qui demum undique piſcoſus, & paſsim olea, uite, lauro, citreiſq; nemoribus littora redimitus, lætiſsima facie nauigantibus arridet. Quatuor montes quadrata facie planiciem includunt, in qua urbem ipſam fluuiatili cancro perſimilem poſitam, ab alto cõſpicimus. Duobus enim ſuburbijs, Coloniola ſcilicet, & Vico influentem, lunato ſinu Larium duabus ueluti chelis amplectitur. Ab aduerſa uerò parte ſuburbium, quatuor fermè ſtadijs inter Orientem atque Meridiem exporrectum, molliter inflexam extendit caudam. Vbi uerò coeuntium inter ſe montium fauces itinera coarctant, pinnatæ quadrati lapidis ingentes portæ, ſingulos aditus præcludunt, opportunæq; totidem in excelſo arces ingreſſus militares tuẽtur. Ab ortu Caſtrumnouum apparet, fatiſcente iam ſubtus tota rupe, ruinæ modo collapſum. A meridie Baradellus, Luitprandi Regis opus, Turrianorum Principum carcere inſignis, in edito iugo conſpicitur ſaxoſæ uiæ, quæ tẽdit ad Heluetios. Ab Occaſu inſidet Carneſium caſtellum, cuius conſpicua turris in priuatę uillæ periſterium abijſſe uidemus. A Septentrione autem Larius conſumpto curſu in urbem diffuſus, ueluti mole ſua, ſummotis latè montibus, ipſo portu ſubiectæ urbis excipitur. Intra hæc circuentium montium ſepta, campi aliquot ſtadiorum urbem circundant, aut ſegete nobiles, aut uirentibus pratis iucundi, aut hortenſibus delicijs florentes, quæ omnia ad ocij uoluptates, & hippodromon, & geſtationes, & amœna ambulantibus ſpatia præbent. Montes ipſi caſtigatis apicibus, & compreſſo ad æquiſsimam planiciem dorſo, uel in ſumma iuga carris permeabiles, ab aprico littore uinetis, & frugiferis arboribus exculti, ornatiq; frequentibus uillis & templis, ſpectantium oculos mirè implent, nec tamen exatiant: quin ad ſalubritatem uentos arcent, Boreamq; præſertim flexuoſis obicibus frangunt, ita ut mirum uideatur, niuoſis incluſos montibus mitiorem experiri hyemem: & diuerſa pariter ratione, neque æſtuoſos ſolſtitij dies, ingentibus protecti umbris, neque per noctes ardentis Caniculæ ueſtigia, ſed aerem ſuauibus auris mitigatum ſentiamus, quando

Mediolani tã prope per hybernos dies rigidiore matutina aura, uti ab expedita planitie rapidius incidente, gelata ora hominum abradantur, & in refertiſsima urbe immodicis æſtate feruoribus torreamur. Porrò ab aduerſa parte, qua in ſe ipſos obiecti ſolibus cadẽtes umbras excipiunt, prealta nemora oſtẽtant ad uenationes, ad aucupia opaciſsimosq́ꝫ receſſus, ita ut paſsim ueluti æſtiuis uoluptatibus arridente natura, & frigidi fontes ſubſiliant, & auiculæ decantent, & umbroſa diuerticula ad quieſcendum uiatores alliciant. Sed ne dulcedine patriæ fuſius laſciuire uideamur, ſubijciemus epiſtolã Caſsiodori, qui hæc poetico more iucundiſsimis tractibus celebrauit. CASSIODORVS, Gaudioſo, Theodorici Regis epiſtolarum magiſtro, ſalutem dicit. Cum multis itineribus Como ciuitas expetatur, ita ſe eius poſſeſſores præ ueredorum aſsiduitate ſuggerunt eſſe fatigatos, ut equorum nimio curſu ipſi potius atterãtur, quibus indultu regali beneficium præcipimus cuſtodiri, ne urbs illa poſitione ſua libenter habitabilis rareſcat incolis, frequentia læſionis. Eſt enim præter montium deuia & laci puriſsimi uaſtitatem, quaſi murus quidam planæ Liguriæ, quæ licet munimen Clauſtrale probetur eſſe prouinciæ, in tantam pulchritudinẽ perducitur, ut ad ſolas delicias inſtituta eſſe uideatur. Hæc poſt tergum cãpeſtria culta tranſmittit, amœnis uectationibus apta, & uictualibus copijs indulgenter accommodata. A fronte ſexaginta millibus dulciſsimi æquoris amœnitate perfruitur, ut & eius recreabili delectatione ſatietur, & piſcium copia nullis tempeſtatibus ſubducatur. Meritò ergo Como nomen accepit, quæ tantis lætatur compta muneribus. Hic profectò lacus nimis ampliſsimæ uallis profunditate ſuſceptus, qui concharum formas decenter imitatur, ſpumei litoris albore depingitur, circa quem conueniunt in coronæ ſpeciem excelſorum montium pulcherrimæ ſummitates: cuius oræ pratorum liminibus decenter ornatæ, quaſi quodam cingulo Palladiæ ſyluæ perpetuis uiriditatibus ambiuntur. ſuper hæc frondoſæ uineæ latera mõtis aſcendunt. Apex autẽ, quaſi quibuſdã capillis caſtanearum denſitate criſpatus, ornante natura depingitur. Hinc riui niueo candore relucentes in arctã laci altitudinem præcipitati deſcendunt, cuius finibus ab Auſtro ueniens Abduæ fluuius faucibus apertis excipitur. Qui ideo tale nomẽ accepit, quòd duobus fontibus acquiſitus, quaſi in proprium mare deuoluitur, qui tãto impetu uaſtiſsimi æquoris incidit ut nomẽ retinens, & colorem ad Septentrionẽ obeſiore aluei uentre generetur, putes quãdam lineam fuſciorem in aquis albentibus eſſe deſcriptã, miroq́ꝫ modo influentis diſcolor natura cõſpicitur, quæ miſceri poſſe ſimili liquore ſentitur. Hoc & in marinis quidẽ fluctibus fluuiorum inundatione contingit. Sed ratio ipſa vulgariter patet, ut torrentes præcipites limoſa fæce corrupti, uitreo ſint æquori diſcolores. Hoc autẽ iure putabitur ſtupendum, quòd ſimile tantis qualitatibus elementum per pigrum ſtagnum uides ire celerrimum, ut amnem per ſolidos cãpos putes decurrere, quem ſe peregrinis undis non uideas colore poſſe miſcere. Quapropter incolis harum rerum iure parcitur, quando amœna omnia delicata ſunt ad labores, & facile onus afflictionis ſentiunt, qui uti ſimilibus delicijs conſueuerunt. Fungantur ergo munere regali perpetuo, ut, ſicut gaudent natiuis epulis, ita eos exultare faciat munificentia principalis.

Hanc urbem beatam delicijs; florentem opibus, & libertate, fortunaque ſua gaudentem, conſpiratione quatuordecim ciuitatũ Mediolanenſes ab hinc annis quadringentis, imperãte Lothario in cineres redegerunt, auctore & principe

cipe

cipe Iordane Cliuio eorũ antiſtite. Is trinis caſtris poſt diu obſeſſam, oppugnatamq; urbem eò Comenſes, ab inſulanis ſocijs deſertos adegit, ut deſperatis rebus, cum liberis, ac uxoribus claſſe profugerẽt, & urbs deſerta, ſpectante ciuiũ claſſe, cremaretur. Cuius diri belli hiſtoria inepto, ſed robuſto carmine decãtata, in archiuijs Comenſiũ religiosè cuſtoditur: cuius auctor eſt M. Cumanus, qui bello interfuit, & pleraq; alia pedeſtri demũ ſtylo in tãta eius ſeculi ſcriptorũ orbitate, nobis gratiſsima ſcriptitauit: ſic enim tumido uerſu opus orditur:

Bellum, quod geſsit populus cum gente ſuperba: Annis ab ea clade uigintitribus, quum ingruenti in Italiam Federico Aenobarbo Cæſari, Comẽſes uindictæ libidine, pręſtò fuiſſent, in quota ſolatij parte Mediolanum barbarorum ſæuitia deletum uiderunt. Tum uerò Cæſar, ut ſocijs gratiam referret, Comum reſtituit: immunitate, libertateq; donauit. Eam uerò liberalitatem Cæſar Auguſtali diplomate ex latiſsimis membranis, quæ adhuc incorrupta ſeruantur, benignè teſtatus eſt: eius quoque auſpicijs, quæ uidemus, mœnia, & turres eximij operis Comenſes ædificarunt: auctáque demum eſt opibus ciuitas, mercaturæ, lanificiíque præſertim induſtria, quum laneos pannos in Orientem uſque tranſmitteret. Induſtria ergo opulentiam fecit, è qua mox ſuperbia orta eſt, quæ inteſtina bella peperit: atq; ita inſanis factionibus ſeruientes Vicani Ruſconiq; familiæ principes, alternante Fortuna partiũ ſucceſſus, urbẽ euerterunt. Eo modo attriti mutuis cladibus, urbe latè incẽdijs deformata, tædio calamitoſæ libertatis, ultro in ditionẽ Actij Vicecomitis conceſſerunt. His ab Actio ducentis annis bis urbs noſtra rediuiuis opibus reſurgẽs, direpta eſt ſemel à Pandulpho Malateſta, imperante Inſubribus Ioãne Maria, cui inhumana crudelitas dignũ uitæ exitum parauit, iterũ ante ſedecim annos ab Hiſpanis, quũ ſyncerè deditis auiditate prædę fidem uiolaſſent. Secutum demum eſt execrabile id bellum inter Cæſ. & Franciſcum Sfortiam, quod toti Italiæ fatale fuit, ut omniũ ſimul fortunæ conciderent: quo tẽpore Petrus Arias Hiſpanus inuſitata tyrannide ita Comenſes afflixit, ut ſub hoc prægraui tributorum pondere fatiſcentes, quo nunc premimur, nihil iam de ſalute ſperemus, niſi hoc Gallico bello Cæſar aut optimam pacem, aut optimam uictoriã ſibi & nobis attulerit: ſed cum hæc amariores nos reddant, ad Larij delicias reuertemur. Igitur ad læuam è Vici ſuburbano ſoluentibus, ubi opaciſsima Plinij Platanus olim fuit, epiſtolis eius celebrata, in cuius memoriam honoremq; Muſarum, & Apollinis, iucundiſsimi proſpectus Muſæũ noſtrum ædificamus, occurrunt quinq; uillæ ad radices Olympini mõtis, qui cõtra portũ reſpicit, Grumellia, Succota, Caraſia, Tabernula, Gerentiana, ęquis ferè ſpacijs inter ſe diſtãtes. Hinc uertente ſe in orbem Olympino in Lariũ effunditur Bleſia flumen & lapideo ponte oblongo, & frumentarijs molis, & in oſtio Troctæ piſcis captura inſignis. Eum piſcẽ antiquitus Lupũ appellatũ fuiſſe, in libro de Romanis piſcibus abundè mõſtrauimus: datur enim ei palma, qui Maio mẽſe in oſtio Bleſiæ ſit captus. Vltra pontẽ cœnobium, oppidulũ ex ambuſtis ædificijs, & ſtructura interrupti portus paucis antè annis opulentũ. Paulo ſupra cœnobiũ, ad ſecundas excelſi Busbinij mõtis radices, uiſuntur Platea, Rubẽna, Toldinium, rara, ſed eximij tritici fruge gaudẽtes. In ſummo cacumine cum templo Deiparæ uirginis ſpecula eſt admirabili proſpectu. Inde Larij fluctibus alluũtur Garinia, & Speciana, honeſtiſsimorum ciuium uillæ. Sequitur nobile ficetis, & tegulari lapide Multraſium in ualle algida ſonãtis amniculi umbroſis cotibus

impositum. Inde recto itinere sequuntur Furij geminę sacræ turres, & mox Caractum, lapicidis & naualibus fabris frequens. Hinc paulum sese Larius terris insinuat, & dum rursus refugit, Lellium exigua cuspide in undas porrigitur, oliueta passim & in primis Curtianas elegantes uillas ostentās. Inde demum lunatis utrinq; ripis Turregiæ promontorium excurrit, adeò ut à Careno oppositi littoris non amplius decem stadiorum spatio distet: neq; alibi Larius angustior reperitur. Is uicus agrum habet accliui & ob id gradata planitie, uite, olea, lauris, & fontibus peramœnum, ita ut is situs toto lacu mihi potior uideatur, qui ab aliquo priscæ elegantiæ, & arridentis fortunæ uiro luculentis ædificijs debeat exornari. A Turregia rursus littora sensim curuantur, prolatatoq; sinu uisitur Biennium in ardua, & aprica montis radice propendens. Inde duodecim fermè stadijs adest Arcennium, in imo recessu perampli sinus positū, ædificijs, arce, priuatis turribus, & lapideo ponte nobilis uicus. Interfluit enim medium amnis ex umbrosa ualle delapsus, quà iter est octo millibus passuum ad Lugani lacum, per Inteluinam uallem multis frequentem pagis uenationeq; & aucupijs iucundam. Ab Arcennio stirpem ducunt Lauizarij, uigente olim Vicana factione Comi opibus potentes: quorum unus hodie Arcennij Georgius multa hospitalitate nobilitatis nomen tuetur. Dum Arcennij sinu euehitur, ad læuam in arduum montem, & subamaro quidem ascensu, unde illi Græcum nomen, suspicitur Picra oppidum cum arce, frumenti candoris, & magnitudinis eximiæ ferax. Gloriatur & rapis Nursinis æquè similibus. In ora cum fornicato ponte, qui regiam uiam sternit, Camogia torrens, atq; inde Colonium ignobilis pagus: Tum uerò fons largus, frigidus, perennis, ab oliuetis inumbrantibus nomen accipiēs. Is saxeo naturali cratere tantisper retentus, dum uiatores & nautæ potant, in lacum effunditur. Sala demum pagus occurrit, cum uetusta arce in edito, negotiosis piscatoribus frequens. Hinc enim incipit Euripus ille Gemmeus Cæcilij Plinij, à multa intercurrentium piscium captura pernobilis. Contra id Salaniani littoris spatium porrigitur insula, protenso in longitudinem dorso, cadauer antiquæ urbis decreto Comensium nauigantibus ostentans, ut eius pœnæ exemplo Lariani populi parentem suam Comum urbem fidelius colere moneantur. Fuit hæc clara Gothorum temporibus, qui tantum in eius urbis munitione confidebant, ut in ea totius gētis thesauri conderentur. Paulus Longobardus in historijs scribit, Comacinam insulam in Lario lacu ab Ariperto Longobardorum rege, captā euersamq; fuisse, quum fortè in eam Ausprandus, Luitperti pueri Regis nutricius & tutor, prælio ad Nouariam uictus profugisset. Cæterùm post Caroli Magni aduentum, qui Longobardicum regnum euertit, instauratam insulam inuenio. Ab hac Iouiorum familia nostra originem trahit, extantq; opulentiæ maiorum nostrorum monimenta, diuę Mariæ Magdalenę templum, in Stabio uico contra insulam per Euripum breuissimo duorum stadiorum traiectu distans. Ei maiores Iouij agros ex fundis suis, in alimenta egenorum, uiatorumq; liberali pietate contribuerunt: & per sexcentos annos manet apud nos incorrupta dicendi præfecti, & sacerdotis prærogatiua. Propterea & hodie quoque in gentilitio insigni, ad argumentum originis, castellum insulæ ambiente Lario, impositum gestamus, addita Romana Aquila, qua Federicus Aenobarbus domum nostram honestauit: sicut & dudum columnas Herculeas, munere Caroli Quinti Cæsaris, studijs nostris impensè fauentis addidimus. Post deletū

uerò Mediolanum, Comenſes, Aenobarbi opibus adiuti, recentem Inſulanorum perfidiam uindicantes, Inſulam funditus euerterunt, Inſulanis Varenam migrare iuſsis, ad publicam ſeueritatem decreto adiecto, ne quis unquam in Inſula ædificaret: ita ruinis ingentibus deformata, quadringẽtis annis permãſit: hodieq; durante tantùm templo, quod religione inuiolatum fuit, ſolis cuniculis habitanda relinquitur. Contra inſulam, Spuranum, Stabiumq;, & ulterius Canonica uocatum templum archiſacerdote & reditu celebre. Inde Balbianum, quod Inſulę ſuburbanum fuit, ubi maiorum noſtrorum reliquias, fundum ſcilicet, & ruinoſas magnificentiæ ſingularis ædes poſsidemus. Balbianũ à Campouico, interlabente Perlana, infeſtiſsimo torrente dirimitur. Is à ualle prærupta defluit, in qua antiqui monachi in ſylueſtri admodum loco diui Benedicti tẽplum poſuerunt, non lõgè ab Oſſucio uico largiſsimi fontis, & olearum copia celebri. Cęterùm à Cãpo oppidulo Iſthmus incipit, quo promontorium Lanactum, nemoroſo dorſo, & excelſę arcis ueſtigijs ſuperbum, terris innectitur. Id magno ambitu adeò in diuerſa littora porrigitur, ut ſuperioris Larij tractus, & ipſi Inſulæ & ijs quæ notauimus, quinque pagis penitus abſcondatur. Humani capitis effigiem id Lanactũ præbet, ita ut Iſthmus ceruicis locũ obtineat: diſtant uerò littora minus ſtadijs quinque, intercedente peramœna planitie, cuius iugera propter eximiam rerum omnium fertilitatem uiginti aureis auidè coemuntur. In anguſta ceruicis margine turris Vacania uiſitur, Aquilonibus hyeme perflata, ſed æſtate umbris iucundior. Sequitur concauo littore Lennum, templo, & ſacerdotibus, ædificijsq; pluribus, & priſcæ antiquitatis monimentis memorabile. Ad Lẽnum proculdubio uillam Plinij fuiſſe iudicamus: quam ille Lario incumbentem, à depreſſo littore Comœdiam appellare ſolebat, atq; inde facilè è feneſtris, & è lectulo piſcabatur. Supra ſuſpicitur cœnobium, ab algido fonte Aquafrigida nuncupatum, unde ab excelſa peramœnaq; porticu cuncta littora, & nauigantium curſus deſpectare licet. In extremo uerò promontorio diui Ioannis templum fluctibus alluitur, è quo per turbidas tempeſtates noctu, tanquam è Pharo, ſacerdotes nauigãtibus lumen præbent. Inde rurſus littora recedunt, efficiturq; Larius lato pelago ſimilis. Nec multum abeſt à Lenno Buzanicum, & mox diui Laurentij templum ad littus. Hinc molli flexu terreni colles, conſiti uinetis, paululum excurrunt, donec producta cuſpide ad læuam recedant introrſus. A Tremetio pago Griantei uini præſtantia, & fœcunda planitie percelebri, aliud promontorium, nequaquam ſcopuloſa, aut mõtuoſa collium prominentia, ſed plana, redimitaq; oleis, & uitibus, in Larium procurrit. Hinc Catenæ Apiæ nomen nautarum temulentia feciſſe uidetur: qui ibi, ueluti expleto mediæ nauigationis curſu, à remigij labore libentiſsimè cõquieſcunt, quum nullibi liberalius, aut meracius caupones præternauigantibus propinent. Inde ſe littus ad Occaſum recuruat, ſinúmque efficit, in quo poſitum eſt Minacium, Franciſco Caluo poeta nobile, & maximè clarum, marmoribus priſcis quę Minicij, Flaminis Titi Veſpaſiani titulos oſtendunt: memoria noſtra honeſtiſsimis uiris, atq; diuitijs florebat: nunc factionibus, & bellorum incommodis diu quaſſatum, exuſta magna tectorũ parte, penè funditus interijt. Minacianis finitimi ſunt Caneriones qui uallem incolunt ad Lugani lacum pertinentem. Id genus hominũ ingenio factioſo, ſagaci, & maximè cruento, perpetuas diraſq; in ea uicinia contentiones exercet. Sequitur Nobialius uicus, atq; inde abruptę cautes, quæ Saxa raucida

uocantur: per eas incisa est uia militaris, quæ in Germaniam ducit, & Regia uocatur. Illac, ad sagittę iactum, nemo sanus eques transit, quum fallente uestigio in subiectum à præalta rupe lacum, horribili despectu uertente oculos, facilè prouoluantur. Inde Caieta accliui & aprico sinu gaudet, patrum memoria consito Creticis uitibus, his etiam nunc dignitatem originis prædulci sapore tuentibus. A Caieta statim illæ rupes, sed iam nemorosæ nec iumentis omnino difficiles, in Lariū exeunt timido quodam procursu, donec Aquæ Seriæ profluētis impetu frāgantur: ita Saxa raucida desinunt. Supra Serię uallē eiusdem nominis, & paulò editius posita uisitur Breia. Inde recto littore Calaguritani ordinis cucullatorum cœnobium aditur, cum Deiparæ Virginis insigni templo, in uestibulo populetum habens, quod fluctibus alluitur, hortosq; citreis & medicis arboribus longè lætissimos. Ibi uetustæ ingentis arcis radices uidere est, quibus oportunè superædificatum esse tēplum animaduertimus. Duobus inde stadijs, æquissimo peramœnoq; littore, Rhætionicum abest, oppidū uiris ac ædificijs frequens, & copijs multarum rerum abundās: nam montes, qui supra sunt egregiè percoluntur ab indigenis hominibus maximè laboriosis, & faciendæ fabrilis operæ longinquas regiones magnò quæstu petentibus. Commendatur & id oppidum Turrianæ familiæ antiqua stirpe, è qua nomen ducit Paulus contribulis noster à lectissimarum literarū elegantia medicus insignis. Oritur statim à Rhætionico eiusdem nominis promōtorium, turrita arce conspicuum, atq; inde littora sinuoso tractu ad Musium oppidum reflectuntur. In medio sinu duo templa, quæ inter se paucis stadijs distant, fastigiatis eleganter sacris turribus conspicua Vito & Martino diuis dicata. Porrò Musiū, ab sæuæ infestæq; arcis memoria cunctis ferè Larij accolis execrabile, portum habet quadratis silicibus extructum. Adsurgit uerò supra ascensu multis gyris, & flexibus uerrucosa rupes, in qua sita erat summa arx & specula totius lacus, trinis per gradus castellorum munitionumq; Coronis circundata. Eam paucis antè annis extruxerat Triuultius, bello clarus, & demū Iacobus Medices Insuber, per occasionem bellorum custodiæ impositus occuparat. Hunc demum graui bello domitum inde expulit Franciscus Sfortia, adiutus Heluetiorum Rhætorumq; auxilijs, qui eas arces finitimis funestas, cum ingenti ruina tantorū operum radicitus euerterunt. In Musiani promontorij latere maiores nostri cādidi marmoris fodinas inuenêre, quo templum maximum Comi, magnificè constructum exornatumq; unius seculi labore, conspicimus. Ea uerò rupes, ut diximus, in ostentationem tot castellorum exporrecta, alterū sinum aperit, Musio aduersum interuallo, per conuexa mōtis mille passuum. In hoc Aduncum oppidum cubat, & ipsum multis uicis exiguis per latera montium sparsis, opulentum. Rursus ab Adunco, quod ab effigie littoris nomen accepisse uidetur: æqua planicies uinetis cōsita, proscissaq; aratris, terrenam linguā sensim effert, absconditq; Grabadonam, quę secundum Bellanum, de quo mox in dextro littore dicemus, toto Lario summā obtinet claritatem. In prominentia sunt geminę sacrę ædes conspicuis turribus, & paulo altius à littore Augustiniani ordinis cucullatorū cum eximio templo cœnobium. Inde ipsa sinuatis ripis Grabadona in longum producitur. Ibi nuper Curtonū familia domestici apparatus lautitia, honestissimis opibus, & clarorum uirorum hospitijs florens, intestina rabie per mutuas cędes se ipsam ad non dubium interitum confecit. Sequitur in proximo Domasiū, Grabadonæ par, si utriusq; agri dotes æstimemus. Inde

rursus

rursus planum & arborosum litus paululum prominet, occultato Geræ uico, ad quem paucis inde stadijs Suricum succedit, quod ultimum cõsummati cursus portum nauigijs grauioribus præbet. E regione Surici Volturrena uallis petitur, breuissimo traiectu, sed maximè uadoso, propter Abduæ supra irrumpentis impetum. Suis enim uorticibus, nihil propè commistus, sed discolor Larianis aquis, arenę cumulos trahit. Propterea auorum nostrorũ memoria Picininus, clarissimus Imperator, quum acie dimicaturus cum Venetis copijs, exercitum traijcere properaret, tardãtibus nauigijs, subitarij operis subliciũ pontem incredibili celeritate cõstituit, atque inde mox prouectus, insigni parta uictoria, hostes cecidit. Earum sublicarum exesi stipites adhuc apparẽt apud Oloniam turrem, quam nuper Rhæti diruerunt. Non lõgè ab Olonia Volturrẽnam urbẽ antiquitus fuisse constat, quæ Valli nomẽ dederit: uisunturq; hodie uestigia dirutæ urbis ad Burgumfranconem, unde fossa nauigabilis ad Delebium usque perducitur: sed ea per æstatem tabanis, & culicibus infamis stagnante ibi Lario, & inclementem reddente aerem. Existimant id fuisse opus Francilionis, qui Mauricij Cęsaris auspicijs, cum Longobardis ad Comum, & in Comacina insula, Volturrenáque ualle bellum gessit. Ab Olonia turre ad Liuionem excelsum mõtem, recta margine desinens Larius paludes relinquit, quæ Volturrenæ uallis frontem aperiunt. Ea in dextram inter Aquilonem, & Orientem solem, ut diximus, ad Abduam mõtem. Burniúmque oppidum extenditur. A proximo autem Larij littore octo millibus passuum distat Morbonium, ab intemperie earum paludum nomen accipiens. Id magnitudine, & diuitijs urbi persimile, nundinis, & frequenti mercatu celebratur. Medio fermè itinere montibus adiacet Delebium, ut diximus, Venetorum clade & templo, quod in ipsa uictoria dux uouerat, insigne. Cæterùm de Volturrena alijs sit peculiare negotium: nos ad Lariũ conuertimur. Abdua tota ualle demissus nequaquam recta per campos in Larium discursus habet: sed ad læuam in saxa Coderię montis distortus inuehitur, deuoratisq; radicibus tandem ingenitum cautium obice refractus in Larium pellitur, adeò irato & contumaci cursu, ueluti indignatus, ut permisceri nolit, & inter uitreas & liquidissimas undas spumosus, & turbidus deferatur. Ab eius ostio excurrit Larius ad Boream, alio ueluti alueo per octo millia passuum inter altissimos mõtes usque ad eum uicum qui è re nomẽ habet, Summolacum. Ibi dextrorsus excipitur Mera fluuius, qui Clauẽnam oppidum præterlabens, octo millium spatio per uallem cursum intendit. Hæc per interiora Alpium iter habet ad Curiam Rhætiarum. Porrò à læua, redeuntibus Suricũ non longè ab hostio Meræ amnis, Metiola uicus, & Nouatum materiæ copia, & discectorijs machinis notum. Coderię enim mõtis iuga, quib. Volturrena & Clauennatium ualles dirimuntur, & larice, & proceris abietibus sunt referta. In asperrimis autem saxis, caprearum, & ibicum greges uisuntur, & eius generis syluestris caper, cui Stambuco nomen est: is colore & magnitudine, uel procerum asinum ęquat, oblonga & falcata in humeros cornua demittens, quibus, admirabili naturæ subsidio, morte se eripit, quum a uenatoribus in extremam rupium oram compellitur. contractis siquidem pedibus insertaq; pectori ceruice, in orbem se conuoluit, atq; ita cornuum abside protectus terga, nobili decreto pręceps rotę modo illæsus per derupta prouoluitur. Huius generis esse putauerim capreas, quas in tetricę Sabinę iugis Rotas appellari M. Varro prodidit. Cęterùm à Nouato Rhęti dudũ per latera cautiũ,

ultra Abduę ostiũ præcisis excauatisq́ cautibus uiam duxerunt, ut inde pedibus Volturenã intrent. A dextro uero latere, petentib. Suricũ, Dacium ignobilem pagum uidemus. Igitur descripturis aduersam è Surico regionẽ, interiacente Lario, Lineonis montis cacumina spectantur. Is altissimus omnium perhibetur, à quo ferunt reliquorũ montium seriem perpetua ueluti catena usq; in Dalmatiã extendi. Sub Lineone sunt uberes campi, à capite lacus nomẽ sumentes, accipitrum aucupijs (nam coturnicibus abundãt) ad oblectationem aptissimi. Cæterùm tria omnino promõtoria ab his campis in Larium efferuntur, quæ totidem piscosos sinus efficiũt. In his piscatores uimineas caueas per autumnum in profunda uada demittunt: & quum hyeme in his pisces stabulẽtur, ad prima ueris signa omni piscium genere plenissimas funibus educunt. In primo castellum cum turre conspicitur, & introrsus sinu in medio situm est Colecum uicus. Secundum uerò promontorium ædificijs caret. At tertium cæteris amplius, ac amœnius humani pedis similitudinem repræsentat, ueluti per extremam tibiæ partẽ littoribus adiuncti, ita ut talo Comum, plãta Aduncanũ littus, digitis uerò superiora duo promõtoria respiciat, tãta littoris enormitate, ut à digitis ad tibiæ iuncturã oblongo, & angusto sinu lacus irrumpat, penè effecta insula in Euripũ abiturus, si præcisa ceruice paucorũ passuum Isthmus æquaretur. In eius promõtorij digitis cœnobium, quod Plonã uocant, ædificijs agrisq́ opulentum uisitur, cum uiridarijs perpetuo muro præcinctis, & peculiari ad eas delicias extructa mole, quæ portum efficeret. sed ea per contẽptum Christianæ religionis, auarissimè neglecta, direpta penitus obsolescũt. Ab hoc uerò Plonæ promontorio regna tua panduntur, in quæ peruenimus. Incipiũt enim ab Isthmo statim Dorensiũ uineta Mussiano promontorio aduersa, sicuti Plonæ cœnobio è regione Grabadona cõspicitur. Inde stadijs fermè duodecim saxo adiacet Corenũ cum arce, unius Sigismundi Medici iucũdis ædibus clarum: nam ex perenni & largissimo fonte, qui in hortis multo cum murmure muscosa è caute prosilit, hilariter potat, & è fenestris hamis & arundine piscatur: ita ut eam uillam non ineptis cõiecturis esse arbitrer, è qua ille apud Plinium fœdissimi morbi ulcere consumptus, uitæ tædio in Larium se proiecit, sequente uiri casum admirabili charitate uxore fortissima. A Coreno sensim littora cuneantur, & in cãpos abeunt: in his situm est Delphinum, fertili planicie oppidum, in proximo monte arcẽ uetustã ostẽdens. Inde Varro defluit amnis, qui campos intersecat. Aperiunt sese montes paulò supra arcẽ, atque inde est iter in Introciam uallem. Sequitur Bellanum ad paruæ pernobilis urbis effigiem, omnibus eruditæ artis ornamentis, & naturæ dotibus admodum illustre, quod ueluti in ditione tua metropolis, portum habet è quadrato lapide classium capacem, insignéque prætorium iuri dicundo, atque item augusta facie templum, quæ Actius Vicecomes, & Ioannes patruus Mediolanensis archiepiscopus, pari magnificentia, & religione condiderunt. Adiacet Bellano Cultonius ager, generoso uino percelebre: quem demissus è præalta ualle, ubi arx est, Pluuierna fluuius inundat. In tergo sunt nemorosi montes cum opulenta Saxina ualle, è qua Turrianos Insubrum Principes, oriundos fuisse constat: qui postea à Vicecomitibus pulsi, imperio deciderunt. Bellanenses hyeme plurimùm algent: sed eorum frigora propinquitate syluarum, facilè luculentis ignibus superantur. In eo oppido cæteris præcellunt, quum salubri admodum cœlo æstates uerna temperie lætissimas traducant

Hierony-

Hieronymus, & Dantes Stupanij fratres, à multo ſplendore urbanæ uitæ elegantiſsimi ſenes: famámque oppido ingenij dotibus affert Nicolaus Boldonius, in gymnaſio Ticinenſi medicinam docens: quo comite, monſtratoreq́ue, tertrarchiæ tuæ oram deſcripſimus. A Bellano Varenam petentibus. in medio ferè curſu, promontorium Murca: ad id Cultonius ager finitur. Inde Saxis in circulum ſeſe flectentibus impoſita occurrit Varena: cuius oppidi uinetis nihil generoſius, nihil hortis à citreorum, & medicorum pomorum amœnitate beatius. In aprico enim, & erecto littore odoratę ſyluę perpetuò uirent, ita aptè exceptis in orbem ſolibus, ut Varenatibus Bellanenſium, alterna ſorte, autũnus prælongus, & ſuo tempore ſuauis, contuſa duritie hyemis, cum uerna temperie coniungatur. In ea ſaxa coloniam Varenam ducere coacti ſunt Inſulani, Comenſium proditione infames: qui & ſacra ſecum tulerunt, quum illi uni eius tractus, Ambroſianos ritus non ſequantur. Aedificauêre noua in ſede binas arces, alteram in humero dextro ad Larium, alteram in edito montis iugo, imminentem ædificijs, & ſpeculam toto à lacu præbentem. Ibi enim maxima Larij latitudo, trifariam ſe in diuerſa proſcindẽtis, ad Pythagorę literæ ſimilitudinẽ, uti mox in deſcriptione Bilacij referemus. Negat ſe ortum ab Inſulanis, quum genus ſuum altius deducat, Ioannes Maria Scotus, iuriſcõſultus inter Varenates facilè princeps. Porrò in Meridiẽ molli flexu, circumacta Varenæ ſaxa peramœnum ſinum aperiunt: in quo ſacratarum uirginum templum, & mox Lacteus amnis, qui ſtatis temporibus oritur & deficit. Effundunt medij montes ingenti occulto ſpecu, per tubum magnæ feneſtræ perſimilem, ſpumoſum & propterea aſpectu lacteum amnem adulto uere. Siſtitur uerò totus paulò ante brumam, adeò exhauſtis, ut credi par eſt, interraneis cauernis, ut ſine humoris ueſtigio, arduus ille in accliui alueus penitus inareſcat. Cupiuêre nonnulli periculoſa curioſitate, cum funalibus per fauces intrare antrum, ut eius profluentis admirabilem ortum, atq; obitum deprehenderent: ſed in tenebris ad multum ſpatium progreſsis, reuerberatus in ora ſpiritus cum ſibilo faces extinxit. Ferunt autem paſtores, in illa naſcentium alpium cõgerie, ingenti amphitheatro parem, inter montes depreſſam, & concauam planitiem reperiri, in quam uernis ſolibus liquatæ niues ueluti ſubiecto cratere excipiantur, poroſo quidem fundo & ſenſim conceptas aquas in profundos ſpecus inſtillante, explenteq́ue obiter occultas quaſdam menſuras: unde poſtea redundantibus labris expanſus, & præcipiti momento temporis decidens effundatur. Lactei amnis aquę natura eſt, ut euecti piſces in ea demerſi durante rigore in triduum ſeruentur, uiui autem, uel dudum capti, contacta lympha, celeriter expirent. Propterea ad littus infra molas frumentarias, quas ſuo impetu decidens conuoluit, ædificata ſunt morientium uiuaria, ut inde piſces iumentis ad fora Inſubrum excluſa tabe deferantur. A Lacteo, ſub perpetuis uinetis, Veternianum exile promontorium, & poſt id, paucorum ſtadiorum interuallo, aliud eiuſdem nominis multo minus, nauigantibus occurrunt. Tum uerò prominet Lierna: & peninſulam in Larium extendit, in qua ueſtigia muniti olim caſtelli, & priuata item ædificia uidemus. Hic agèr culturæ nequaquam ingratus, aſpectu & fertilitate ſingularis uidetur. In eo enim tractu, quum hinc Larius, atq; ſubducti montes certatim recedant, planitiem oleæ, & uitibus pulcherrimam relinquunt. Inde ſequitur Oleiũ olei ferax, nec lapicidinis ignobile, è queis nigerrimus lapis exciditur, quo pilares columnas in templo maximo Comi maiores

noſtri adfabrè fecerunt, quum nõdum Muſsiana marmora reperiſſent. Ab Olcio uico ſtatim abrupta illa cautes ad Larium intumeſcit, ita ut cõtegat ex propinquo Mandellum oppidum, poſitura, cœlo, campis ubertate nulli poſtferendam. Deſpectat ſubiectum portum eximij operis quadrãgula turris: quam tu integere, ornareꝗ inſtar prætoriæ domus cogitas: ſed meo iudicio rectius, & luculentius feceris, ſi deſignatam in id opus pecuniam feliciore ſumptu in alium locum facili inſtauratione tranſtuleris. A Mandello longè maximus eo tractu ſinus oritur, ad Roboreum uſque promontorium pertendens. Introrſus ſunt diui Georgij templum, mox Teolum, atque inde Laurentiana ædes, Abbatiaꝗ uicus, & iuxta prominentiam cœnobium Seruiliani ordinis. Hinc ultima cuſpis ſex tantùm ſtadijs ab aduerſo littore diſtans, è qua Sfortiani duces nuper inito ſucceſſu, catenam in aduerſum littus protendere cogitarunt, ut hoſtilium claſsium excurſiones impedirent. Reflectit ſe ſtatim Roboreum, panditurꝗ lacus in ſuam latitudinem. At in intimo cubiti flexu diui Martini templum eminet, & in alto procul à littore Dorbinium oppidulum cum torrente, qui in duas partes Roboreum diſcindit: inde aſperæ glabreꝗ cautes uiam militarem ad littus coarctant, ita ut propugnaculo, & porta aditus præcludatur, qui dicitur Calodrius. Sequitur Ceſsimia regio, uino ſubauſtera iucunditate admodum clara: deſinit ea in præciſas Ludouici Sabellij cautes, miſerabilis interitu infames. Is Calendis Maij, quum in excelſis montibus, feſta hilaritate, frondoſæ ad ornamenta domorum arbores de more à Leucenſium iuuentute ſuccidere ntur, fallente ueſtigio prolapſus in ſinum excelſiſsimæ cautis decidit, ſuſpenſusꝗ exili ramuſculo tam diu hæſit, donec, nũciato à præternauigantibus caſu, qui pendentem conſpexerant, ad ferendam opem ab uniuerſo oppido cõcurreretur: uerùm infelix, quum nec demiſſos funes occupatis manibus deprehendere, nec ardẽtiſsimum ſolem diutius ferre poſſet, quinque horarum cruciatu ſuperatus, inter ſuſpicientium parentum, amicorumꝗ lachrymas animum deſpondit, & corruit, fruſtra antè ſubſtrato ſolo, quũ penè prius, quàm illideretur, ui ipſa proſciſsi aeris exanimatus concidiſſet. Circumuecti eas rupes Leucum adimus, munitionis fama, & fori celebritate frequentatũ. A Clarentio, & Calendono amnibus includitur. Cingitur muro, & propugnaculis, arceꝗ turrita ad portum opportunè firmatur: nam in proximo ſunt Veneti imperij limites. Inde Abdua è Lario auctiores undas trahens ſeipſum rapit, peruenitꝗ ad incomparabilis ſtructuræ pontem: quem tribus inter ſe diuiſis exemptili ponte caſtellis & turribus, totidemꝗ cuſtodum fidei commendatũ Vicecomites animi magnitudine priſcis Romanis comparandi, ab hinc ducentis annis ædificarunt. Inde Abdua, pluribus anguillarum excipulis ſtrangulatus, inſulam efficit ad Peſcarenũ uicum, rurſusꝗ arctis faucibus erumpit, & in lacum contento curſu diffunditur. A ſummo lacu, Mergꝗ oſtio per Varenam, & inde ad exitum, ad Abduam triginta octo miliariũ menſura colligitur. Contra Leucum montis Barri excelſa cacumina aſſurgunt. In dextro Barri humero, Michaeli templum conſtituit. Deſiderius Longobardorum Rex ultimus, ſicuti & alij ſuperiores Chriſtiana pietate memorabiles, diuæ Mariæ fanum in iugo, quod hodie pro ſpecula uiſitur, & cœnobium Cliuatenſe in proximo opulenta cum dote cõdiderunt. In ea montis parte, quæ uertitur ad Occaſum hybernum, Barræ uetuſtiſsimæ urbis ueſtigia ſpectantur, non longè à Galbiato pago. de Barræ interitu Plinius memorat. At emiſſo iam Abdua, Larius

molliter

molliter aſſurgentis Barri ipſius radices fluctibus alluit,& ad Malgratum uicinum paulatim latiore pelago ſe inſinuat, ſed mox excurrente promontorio caſtigatur: in eo caſtellum eminet. Sequitur autem in cauo fluxu contra Malgratum per Iſthmum nomine Parietes uicus, ueteris oppidi ſpeciem præbens. Inde radices in fertiles cāpos æquantur, pertinentq; à Parietibus fauces peramœnæ ad Eupylim lacū, qui, uti alio loco oſtendimus, ſubito tremore, quaſſata tellure, cæco aliquo telluris hiatu repentè hauſtos, in minores aliquot lacus abijt, altioribus ſcilicet uadis ſubſidente aqua, quum eminentiores deſereret. Ex his maximus eſt Puſianus tuæ ditionis, ab eo Cliuatenſis & Annonius ferè cōiuncti, demumq; Serius ipſe, qui piſcoſo oſtio Lābrum emittit, omnes Percarum pręsinguium captura notabiles. Plebis Incini lacus, corrupto uocabulo, hodie dicuntur, quum ibi nobis ciuitas fuerit Licinoforum, quam Plinio notam uidemus. Cæterùm Larius, ubi camporum margines lambendo præterijt, latera demum regalis montis fluctibus pulſat. Is eſt editiſsimus, cōtra Roboreū aduerſi littoris promontorium, ubi breuiſsimum traiectum eſſe, ſuperius oſtendimus. Inde recto, nemoroſoq;, & nuſquam uite conſito littore Ouium ſub rupe exeſa, monoſyllabo nomine uocatum, unde aperitur uallis Aſinæ regio, Lambri fontibus, & familijs ex uetuſtiſsima Romanorū nobilitate inſignis. In illa enim florent Curiones, Carbones, & Billieni, qui omnes imperio tuo latè parēt. Id, intercedente lacu, apricā Mandelliani agri frontem reſpicit. Sequitur Vaſſenna agro ſyluoſo, & uinetis Ouio melior. In eius portu quadrata facie ſcopuli pedamentum ingentis turris ad nobilitatis indicium oſtentant. Inde Alimonta Ambroſianorum cucullatorum ſeceſſus, Liernæ oppoſita. Mosq; piſcalium cum ſacratis uirginibus, atque è modico ſinu erumpens Bilacium promōtorium: quo nihil ſpectatius, iucundius, ſalubriusq; reperitur. In iugo Pliniana fuit uilla, quam ille Tragœdiam, quod grandibus ſcopulis, ueluti ſocculis ſuſtineretur, appellare ſolebat, quum inde duos lacus, ueluti duo maria deſpectaret. Condita demū fuit in eo cacumine arx nobilis è lapide quadrato, quàm uti aſylum maleficorum hominum, ante centum & quadraginta annos Ioannes Galeacius Vicecomes, Philippi pater, ſalubri conſilio diruit, decreto adiecto, ne in poſterum inſtaurari poſſet. Propterea Marcheſinus Stanpa, quum Ludouici Sfortiæ, è ſummo gratiæ loco, fortunis uteretur, non in ſummo, ſed media montis regione, ad meridiē uerſa fronte Regiam uillam conſtituit: quā nefaria Cauernionum libidine incendio deformatam aliquot annis uidemus. Infra ad Occaſum Bilacium oppidum undis alluitur, totius Larij præfectura, & nobilitate ædificiorum, molisq; peramplæ ante inteſtina bella clariſsimum. Eo promontorio Larius defluens ab Olonia turre, ueluti ingenti roſtro diſcinditur, exitq; in lōgè maximam æquoris planitiem, tribus in diuerſa diſcurſibus Pythagoræ literę figuram repræſentans. Triquetro ſiquidem interuallo, & fermè æquali, Bilacium, Varena, Minacium, ſex millium paſſuum occupante pelago dirimuntur. Inde ad læuam in aduerſo Piſcalij littore, Lopia uicus cum tēplo æmulatione religionis ſacratarum uirginum domo inſigni. Inde ſancti Ioannis pagus, cucullatis diui Dominici uberrimas uindemias reddens. In ceruice quoque Bilacij promontorij, quod penè præterieram, quum à littore diſtet, cœnobium Auguſtinianorum cucullatorum cōſpicitur, medicis arboribus & cultiſsimis uinetis refertum, ita ut ſacratę uirgines Piſcalianæ, Lopianæq; horum cœnobiorum ſecuritate atque præſidio pudicitiam commodiſsimè

tueantur. Inde ſedecim fermè ſtadijs Groſgallia Saxa crebris repulſi à Lauacto Larij fluctibus uerberantur: ea Saxa ingentes habent ſpecus, in quos burburi piſces ſtaturæ hominis magnitudinem æquantes, æſtate ſe recipiunt, ſpectanturq; tantùm uitreo in fundo captantes umbram, quum retia uehementi impetu effringant, grauiq; ſquamarum ſerie thoracati ſagittas uitent. Sequitur Lecenum, in quinque tenues diuiſum pagos, quos inter denſiſsima uineta directa littore conſpicimus. Aquoſa inde uina, ſanæ uappæ proxima, agris expetuntur: quibus famam auctoritatemq; attulit Ludouici Sfortię guſtus probãtibus medicis, qui ęſtuoſis uiſceribus, calidisq; podagris aptiſsima iudicabãt. Nos autem Grianteo, aut Vareniano, cum muſta feruent, ad medietatem Leceniana nobili temperamento permiſcemus, quæ demum delicatas uires ſpirant, & nitido cæſio colore ſalienti in poculis ſitientibus arrident. Succedit Cauancolæ promontorium Arcenniano ſinu quem diximus, ad interloquenda littora auido procurſu inſertum. In eo tẽplum eſt cum uberrimo fonte, & quadrati lapidis parua mole. Aedituus laternam cum lumine, præbentibus oleum nautis, ad ſubſidia tempeſtatum, paucis ante annis protendebat, ut corriuarẽt qui à Lanacteo pharo turbidis noctibus deſcendebant. Hinc ille ſinus maximè incuruus ad Turnium uſque promõtorium per quadraginta ſtadia diſtenditur. In quo præcipuam Neſsium oppidum in algida caute ſuſpenſum, ad æſtiuas uoluptates obtinet claritatem. Id præcipiti, frigidiſsimoq; amne diuiſum lapideo ponte coniungitur. Ibi captare perennes auras, & conſpectu Larij, frondoſorumq; montium placidè frui feſtiueq; item ad marmoream menſam cœnitare pingui eo ſeceſſu gaudentibus licet. Non procul à Neſsio recurui mõtes cubitum oſtentant in quo fontem à fuga Seria nuncupatum, multo murmure, ſtrepentis aquæ nautis frequentatum incumbentes ſupra caſtaneæ arbores connexis inter ſe ramis decenter à ſolibus defendunt: nec poſtea toto illo ſinu ędificia ad littus uiſuntur, præter exiguas ad ſtationes nauium domos, quæ ſuperioribus pagis certis tramitibus reſpondent. In conſpectu enim ſunt Carenum, Quartianum, Pomponiana, & cæteris fortunatius ſita Palãtia, eximiarum ceparũ fertilitate pernobilis, atq; itẽ Lemna, Molinaq;. Supra hæc nequaquam ardui, & pabuloſi montes in acutos apices attolluntur, per quos paſtoribus ſæpiſsimè agmina ceruorum occurrunt. Hinc ad pauca ſtadia fons ille duorum Pliniorũ præconio & admirabili fluxus & refluxus uarietate memorabilis, quem deſcriptione attingere, non ineptum modò, ſed nefas eſſe putauerim: ne æmulatione parũ ingenua, aliquid rectè addere uideamur: quando illi, diuino florentes ingenio, cuncta, quæ hodie nihil immutato naturæ miraculo contemplamur, incomparabili ſtyli iucunditate nobis expreſſerint. Succedunt inde ſyluæ, uinetaq; Turnenſium, & ſupra ea in edito mons Platus, ſacratarum uirginum templo & pręalta ſpecula longè ſpectabilis, & mox ipſum lunato littore Turni promontorium: in quo oppidum per gradus ędificatum, noua inſtauratione refloreſcit. Quum enim afflicti aduerſo belli ſucceſſu Gallicum nomen contumacius, uel, uti uideri uolunt, conſtantius coluiſſent, incendio patriæ intempeſtiui ſtudij ſui pœnas dederunt. Eandem quoque fortunam tulit Parlaſca, paucis antè annis oppidum inſigne incolarum nobilitate, & excelſis domorum ſtructuris, quod modò ſingulari cum dolore luctuoſæ cladis præterijmus. Inde ſequitur Blenum, & ipſum uinetis ſuis, quoniam Orientem ſolem non uideant, apud languentes ſtomacho, dignitatis & gratiæ

famam

famam inueniẽs, quum uina leuitate quadam innoxia à tenui innatoq; uigore refractis & dilutis præferãtur. A Blenio peruenimus ad uberrimę scaturiginis fontem, quem ab aquarum copia iure optimo Magnum appellant. Inde sequitur Mirabella domus pendenti imposita scopulo, & mox duobus inde stadijs Genium promontorium, in quo uastæ amplitudinis ædes cum templo, & uiridarijs, Decurionum decreto pestilentia morbosis reseruantur. Inde statim flectentibus sese ad læuam ripis: urbs ipsa Comum undiq; turrita conspicitur. Nos uerò ad suburbana Coloniolæ uertendo proram, uineta, uillas, hortos legimus, & sexto die completo uniuersæ adnauigationis cursu, qui per oram centum & uiginti millibus passuum conficitur, unde solueramus intra portus fauces nauem intulimus. Tu uerò, qui harum rerum præclarus es æstimator, qua fide scripserimus, facilè uidebis. Nihil enim tributum est fabulis, ita ut hinc dissolutæ, uagæq; narrationis ueniam impetrare non desperem: quando etiam abs te iussa efflagitataq; non meo quidem, sed alieno potius stylo tractauerim. Nec tamen dispudet tantisper ab hystoriæ seueritate discessisse, ut studium nostrum uel hac una erga te liberali comitate testaremur: nam qui tanto ore raptam Helenam cecinisti, remissiore fortasse musa Larium decantabis, uel uno Bembi exemplo, qui Benacum Giberto Mœcenati nostro, iucũdissimè descripsit. Tabulã quoque huic ioculatorio labori nostro coniunximus, ad locorum mensuras exactissimè delineatam: quæ fortasse erit ipsis Commentarijs, lenocinante pictura iucundior. Sed hoc imperiti uiderint. Tu certè intelliges mutas, & inanes fore tabularum figuras, nisi literarum lumen accesserit.

FINIS.

PAVLI IOVII

NOVOCOMENSIS MEDICI, ET EPISCOPI NVCERINI DE ROMANIS piscibus libellus, ad Ludouicum Borbonium Cardinalem amplis.



VADES Reuerendißime ac illustrißime Domine, qui etiam iure optimo compellere potes, ut ea literis tradam, quæ de Romanis Piscibus eruditè atq; subtiliter fuêre disputata, quum te & Ioannem Lotharingium præclarißimi ingenij Cardinalem Clemens Pontifex familiari conuiuio, ueluti animum remissurus, hilariter excepisset. Res est cognitu tractatuq; difficilis, cùm propter infinitam ferè naturæ piscium uarietatem, quæ me & plerosque alios admodum curiosos hactenus irrito labore fatigauit, tum propter incredibilem scriptorum discrepantiam, qui ex multiplici linguarum uarietate perpetuas huiusmodi studijs tenebras offuderunt. Quibus de causis necesse est, ut animus rei difficultate permotus, totum hoc munus, quod maioribus doctrinæ, exactiorisq; neruis esse extendendum, haud mediocriter reformidet. Sed ea est dignitas amplitudoq; tua, & morum suauitas cum singulari optimarum literarum cupiditate coniuncta, ut honoris mei uel gloriolæ, si qua ingenuis studijs parta est, iacturam planè facere, quàm honestißimo desiderio tuo penitus deesse malim. Verùm tu postea iudicaueris, an ego, qui rem tam difficili

argumenti, & maiorem omnino ingenij facultatem postulantis suscepi, impudentiæ culpa uacauerim, quum eius nominis ueniam iã deprecer, ut officiosus & perhumanus appaream. Proinde hunc libellum ab acrioribus censoribus minus seuerè iudicari uelim, quando eum festiua quadam hilaritate ueluti ludibundus, dum multi per hæc Saturnalia, aleæ cæterisq; uoluptatibus uacarent, antiquis meis earum rerum obseruationibus memoria repetitis, excogitauerim, & aliqua ex parte perfecerim. Eritq; hic malè feriati hominis ingenuus labor, fortasse præludium iusti, absolutiq; operis, si qui literis ac industria pollent, proposita oculis, & à me quasi per transennam commonstrata, accuratius contemplari, ac uberioribus interpretationibus illustrare uoluerint. Ego certè hoc munere & tibi in primis, & illis gratum fecisse uidebor, animusq; etiam meus tanquam amœniore diuerticulo recreatus, ad institutas absoluēdæ historiæ lucubrationes & firmior & alacrior reuertetur. Exibit enim in publicum propediem huiusmodi laboriosissimi operis prima decas non sine aliqua spe immortalitatis: & tum quidem multo auctior & ornatior, si eam tibi & Francisco Regi tuo, quem liberalibus studijs delectari audiuimus, aliquando placuisse cognouero. Vale, ex Vaticano, IIII. Calendis Aprilis. M. D. XXIIII.

PISCIVM, QVI IN HOC OPERE continentur, singula capita.

De piscibus in genere	*cap.i.*	*De Boca*	*cap.xxi.*
De Capidolio	*cap.ii.*	*De Gobijs*	*cap.xxii.*
De Boue bellua & Canicula	*cap.iii.*	*De Scorpena*	*cap.xxiii.*
De Sturione	*cap.iiii.*	*De Perca & Melanuro*	*cap.xxiiii.*
De Vmbrina	*cap.v.*	*De Rombo & Passere*	*cap.xxv.*
De Tynno	*cap.vi.*	*De Solea*	*cap.xxvi.*
De Lechia	*cap.vii.*	*De Citula siue sancti Petri pisce.*	*cap.xxvii.*
De Coruo	*cap.viii.*	*De Torpedine*	*cap.xxviii.*
De Spigula siue Lupo	*cap.ix.*	*De Raia & alijs*	*cap.xxix.*
De Cephalo	*cap.x.*	*De Congro*	*cap.xxx.*
De Aurata	*cap.xi.*	*De Murena*	*cap.xxxi.*
De Dentice	*cap.xii.*	*De Acu*	*cap.xxxii.*
De Fragolino	*cap xiii.*	*De Anguilla*	*cap.xxxiii.*
De Salpa	*cap.xiiii.*	*De Lampetra*	*cap.xxxiiii.*
De Sargo	*cap.xv.*	*De Trocta*	*cap.xxxv.*
De Capone	*cap.xvi.*	*De Tinca*	*cap.xxxvi.*
De Laccia	*cap.xvii.*	*De Lucio*	*cap.xxxvii.*
De Trigla	*cap.xviii.*	*De Rayna siue Burbaro*	*cap.xxxviii.*
De Sauro, Tracuro & Scombro	*cap.xix.*	*De Polypo, Sepia & Loligine*	*cap.xxxix.*
De Asello & Merula	*cap.xx.*	*De Locusta*	*cap.xl.*

PAVLI

PAVLI IOVII
LIBELLI DE PISCIBVS Romanis, Cap. I.



INGVLORVM piſcium nomina, naturamq́ indagare, ſicuti infiniti propè laboris eſt, & doctrinæ haud mediocris, ita præſentis non erit inſtituti, quũ Græci authores, qui naturę rerũ abdita diligẽtiſsimè perſcrutati ſunt, ſuaq́ nomina ſingulis rebus indiderunt, de toto aquatilium genere uarijs uoluminibus abundè cõſcripſerint. Neq́ ipſum Plinium ciuem meũ penitus imitabor, qui ut Græcorũ inuenta Romanis literis exprimeret, tota natura ubique mirificè repræſentata, nõn modò concluſi maris ac fluminum piſces, uerùm etiam ipſas belluas toto Oceano fugientes perſecutus eſt. Itaq́ noſtrorum littorum finibus non abſcedam, atque ij tantùm piſces, è quibus Romæ generoſa parantur obſonia, è Thyrreno mari, fluuijs, ac lacubus Italiæ citabuntur. Neque mirum curioſis eſſe debuerit, ſi quæ ueteres prodidêre, noſtræ tẽpeſtatis piſcationi, omni ex parte minimè cõſenſerint. Nam, & ſi eaſdem ſemper animantium ſpecies perpetuo naturæ ordine terra mariq́ fuiſſe nequaquam ſit dubitandum, multa tamen uarijs de cauſis uariata atq́ immutata uidentur. Inſani ſiquidem Principes, quibus opes ludibrio erant, ſicuti hominum, ita & piſcium colonias aliquando deduxêre, ut luxuria in promptu haberet, quæ paulò ante fruſtra concupiſſet, & nouos inde incolas ipſa littora miraremur.

Scarum enim illum prænobilem in Græcia piſcem, quem Ennius poeta, ob excellentiam Iouis cerebrum uocitabat. Optatus Tyberij Cæſaris libertus, ut ante eum Lucullus, ceraſum Campanis littoribus importauit, cuius ſobolem uel penitus interijſſe, uel, ut credi par eſt, lõgo patrij maris deſiderio abductũ, in Græciã remeaſſe putamus. Acipenſer quoq́ ille Regum mẽſis uſurpatus, & conuerſa in caput ſquammarum ſerie inſignis, eadem ratione, quòd fortaſſe fuerit inquilinus, hac ętate proculdubio euanuit. Peregrinãtur enim ſua ſponte piſces, ſæpiusq́ natalibus locis demigrant, tædioq́ littorum, uel ab innata laſciuia, ad quærendas nouas ſedes per immenſa pelagi ſpatia deferuntur. Nouos etiã piſces retibus exceptos piſcatores admirati ſunt, quos de extremis maris receſsibus, imiſq́ profundi gurgitibus prouenire, uel per Gaditanas fauces in noſtrum à uaſtiſsimo Oceano irrumpere credendum eſt, ſicuti etiam certis annorum curriculis inuſitati generis aues è diuerſa terrarum regione in Italiam aduolaſſe traduntur. Multa quoq́ piſcatoriæ artis inſtrumenta defecere, quũ eius præcepta, aut per manus tradi, aut literarum memoriæ, intercidẽtibus ueterum libris, demandari nequiuerint: & contrà nouæ fraudes, aliæq́ inſidiæ à recentioribus ſint excogitatæ, quæ res non mediocrem ad dinoſcendos piſces difficultatem attuliſſe uidetur: ita ut exiſtimare liceat quoſdã piſces, uno argumento quòd nuſquam appareant, uitare retia, atq́ aſtu noſtrorum artes ludificari, aliquos uerò frequentius, quàm antiquis euenerit, capi, de quorũ nomine nunc maximè dubitemus. Conſtat nonnullos piſces, aliàs in nullo cenſu, quòd mirè principium gulæ placuiſſent, ſummã per aliquod tẽpus publica quadam

aſſentatione claritatem obtinuiſſe, qui poſtmodū extincta cum his regibus raritatis opinione, quum omnes ſaporem ipſum æquali ac libero totius populi iudicio metirentur, uiliſsimo demum pretio uenierunt, uti modò Merlucciæ plebeio admodum piſci Adrianus Pontifex, ſicuti in adminiſtranda republica hebetis ingenij uel deprauati iudicij, ita in eſculentis inſulſiſsimi guſtus, ſupra mediocre pretium, ridente toto foro piſcario, iam fecerat. Nec mirū eſſe debet, quum diuerſum alij atq; alij palatum habeant, numeroſioraq; obſonia mari petantur, quàm terra, ſiquidem non modò uolucres, cæterasq; ſyluarum animantes fœcundiſsima maria gignunt, ſed ex ipſis piſcibus etiam inſtrumenta, ſtupenda uarietate, quæ homines imitentur, in fabriles uſus abundè præbeāt, nihilq; animo concipi uel oculis uideri poſsit, intra hoc cœlum, quo nos tegimur, quod ipſe Neptunus pater, in opulentiſsimis profundi regnis nō habeat, & benignè largiatur. Sed & maior piſcium copia, maiorq; uarietas, quàm nūc conſpicere contingat, antiquitus Romæ uiſebatur, quum in ſummo luxus faſtigio peregrini piſces à remotiſsimis Ionij, Siculiq; littoribus peterentur: ob idq; expeditiſsimi myoparones eſſent inſtituti, quorū remigio quicquid Brunduſij, Meſſanæ, Tarentiq; excelleret, Romanis culinis protinus inferretur, eosq; tum maximè ſapidos piſces æſtimarent, quos & maximo piſcantium labore, & ſummis ſumptibus quæſiuiſſent. Sed hoc certè parum fuerit, Ionij incolas perforatis incluſos caueis captiuos trahere, adnitentibusq; remis ac uelis longinqua uerrere maria, ut Magnæ Græciæ obſonia non recentia modò, uerùm adhuc ſpirantia Romani lurcones abſumerent: quum in quibuſdam Cæſaribus ea quoque pruriētis gulæ petulantia fuerit, ut in maritimis regionibus piſces faſtidirent, quos poſtea in mōtanis, locisq; mediterraneis quum eſſent, ueluti ſordeſcente uenatione per diſpoſitos equos, & quidem multa timētium ſeruorum diligentia adhuc curarent. Adinuentæ quoq; fuère piſcinæ, quas ad mare inſano quidem ſumptu extruebant, ut ſæuientium aliquando uentorum rabies & hac quoque hominum induſtria uinceretur, nec caſtigari luxuria poſſet, etiam ſi Aeolus atq; Neptunus, cæteraq; ponti numina, infenſa ac infeſta epulantibus eſſe uoluiſſent. Itaq; nullo anni tempore, nullisq; in locis, etiam à mari procul remotis, egregij Romanis menſis piſces defuère. Siquidem ſtudium eius rei, curamq; illam, inueterati gentis mores excoluerant: quando nulla uel frigidulo (ut poeticè dicam) digna equite cœna cenſeretur, quæ marinis dapibus caruiſſet. Nos uerò contrà, niſi lege coacti piſcibus ueſcimur, quum certis diebus uolucrem aut quadrupedem eſitaſſe, piaculum ſit ita ut, ſi animi religione ſoluerentur, nunquam profectò piſces ipſos, ſed capum, perdicem, ganeones pro Mulis, auratis, ac Lupis ſectaturos appareat, atque hos tantùm fortaſſe, quum gula quotidianis expleta ferculis, noua ſibi ad inuitandam famam diuerticula quęſiuerit. Tantumq; abeſt, ut piſces cupidius affectemus, ut quadragenis illis Verni ieiunij diebus, neq; Deorum metu, neque infamia permoti, aliquando ad uorandas carnes deteſtanda cupiditate rapiamur. Quibes de cauſis effectum eſt, ut neglecta piſcatione, uetera piſcium nomina penitus exoleuerint. A noſtris enim Vere tātùm ipſo, enixè, certatimq; piſcantibus omnis generis piſces minimè capiuntur. Etenim piſces pro uarietate temporum, modò uagantur, modò latibula quærunt, in quibus ſe cōdant, neq; illorum captura eſt niſi certis ferè temporibus.

Culpeæ ad prima ſtatim Veris ſigna, quum ciconiæ aduentant, ſubire Tyberim

berim ſolent, inclinante Vere nuſquam apparent. In Lario etiam lacu Pigus piſcis ille clauis caligaribus inſignis, ut Plinius refert, non aliàs unquam à me, hoc etiam curioſè quærente, conſpici potuit, quàm Vergiliarum ortu, quibus maximè diebus Turdi gregatim ab alpibus in uineta deuolare conſueuerunt. Sed id præſertim in cauſa eſt, cur ſæpius fallamur & difficillimè uera ea uocabula deprehendamus, quod alijs atque alijs nominibus diuerſi littorum tractus (ut Plinianis uerbis utar) eoſdem piſces appellẽt. Nec mirum, quum rem Romanam, ita uolentibus Fatis, Barbaræ nationes afflixerint, ipſaq; Europa externarum gentium repleta colonijs, iampridem ueras literas & antiquam dignitatem amiſerit.

De Capidolio. Cap. II.

MAXIMVS inter piſces qui hæc littora attingant, Capidolius ab Romanis appellatur. Vnũ ex his, paucis antè annis, uaſta corporis magnitudine oculis ac dentibus truculentũ, irata maria ingentibus propulſum fluctibus humilia in uada detruſerunt non longè à Grauiſcis in ora Tuſcorum. Inhæſit multa reciprocantis pelagi iactatione fatigatus arenæ, quã pondere ſuo impetuq; ſulcauerat. Neq; inde ſua oppreſſus mole circumagere ſeſe præ inertia, aut euadere potuit, quum maria modò tãtis inflata fluctibus, ſubſecuta tranquillitate, fruſtra eluctantẽ frequentibus prægrandis caudæ flexibus, fugamq; in altum multo gemitu moliẽtem, quieto, undoſoq; in littore deſtituiſſent. Ergo perpetuis ueluti circumuallatus aggeribus, crebro multoq; reflatu indignabundus & expirans circũfuſis populis prædæ atq; ſpectaculo fuit, membratimq; ſecuribus cæſus, & ſubditus prælis in lucernarum uſus liquorem præbuit. Tanta erat belluæ uaſtitas, tantaq; eius dorſi altitudo, ut facilè utrinque pariter equitantibus mutuum aſpectum eriperet. Fuère miraculo ingentia oſſa in templorum ueſtibulis ſuſpenſa, & in his prȩſertim oculorum receptacula, quæ orbem prægrandis dolij æquabant. Sed ea res mox in prodigium uerſa eſt, ſicuti triſti admodum euentu ſtatim apparuit. Quum enim æſtiui ſoles fœda putreſcentis belluæ uiſcera feruoribus excitata ſanie corrupiſſent (quanquam aggeſta materia teterrimi odoris faſtidio cremaretur) breui tamen adeò fœtido noxioq; uapore regionem ſuapte natura peſtilentem infecit, ut ea inauditi ſpectaculi uoluptas multis incolarum funebribus eo autumno conſtiterit.

Non multis quoque antè annis alia eiuſdem generis bellua non longè ab Arni fluminis oſtio, ſæuiente auſtri flatibus tempeſtate, uadis illiſa eſt, quam morbo ac ſenio multaq; agitatione confectam ſimilis accolarum concurſus diſſecuit, extractiſq; ad ſpectaculum coſtis, ſpinæq; ſpondylis, continuò cremauit, ne graui eo halitu adfectus inſalubrior redderetur. Capidolium à Plinio Orcam uocatum eſſe crediderim, quam ſpectante populo Romano Claudius Cæſar Oſtenſi in portu, longo plagarum ordine concluſam, ueluti maximo in circo, uel ipſa naumachia, Prætoriana claſſe inuectus, circumfuſoq; milite, expugnauit atque confecit, nec minore quidem ſpectaculi gloria, qua antea ſerpentem ad Bagradam Attilius Regulus admotis caſtris, & directis catapultis atq; baliſtis oppreſſerit. Orcæ cum Balenis continenter bella gerunt, & toto Oceano cruentiſsimis inter ſe prælijs dimicant, utræque Gaditanum fretum aliquando ingrediuntur.

Eſt & in Oceano cetarij generis Rota, quam uidit Luſitana claſsis, dum extremum Aethiopiæ promontoriũ ſuperaret: geminas dorſo rotas geſtare uidebatur, ad earum ſimilitudinem, quæ frumentarias molas impellẽte uẽto editioribus in locis circũducunt. Extimuêre tantæ belluę cõgreſſum periti nautę, qui modò ignoti maris immenſos fluctus, certaq́ꝫ pericula contempſerant, ſatiusq́ꝫ uiſum conuerſis uelis fugam capere, quàm expectare belluam, terribili fragore uaſta, ſpumoſaq́ꝫ maria proſcindentem & ſuperbo fremitu ueluti cõſpectis hoſtibus prælium cientem. Neque eam terruêre excuſſa nauibus tormenta, quorum boatibus ea maria reſonabant, fugientesq́ꝫ proculdubio immanis bellua uaſtis mæandris adnatando fuiſſet conſecuta, uentis ac uelis celeritate cedẽtibus, niſi mirabunda ſubſtitiſſet, quippe quæ perpetuam intentibus fugam ſatis glorioſa inſectatione uictoriam expreſsiſſe uideretur.

Conſpicitur & Phyſiter piſcis extra columnas Herculeas, Flator ab Latinis appellatus, qui frequẽti reflatu præaltas undas euomere ſolet, ita ut procul nauigiorum uela ob ſpumantis aquæ candorẽ appareant. Eæ belluæ ſuperiore biennio quibuſdam Cæſarianis è Britannia in Hiſpaniam traijcientibus, magnum terrorem incuſſere, quum Gallorum nauigia ea uelorum ſpecie è lõginquo repræſentaſſent, qui tum ardente bello, ea maria infeſtis claſsibus obſidebant. Sed iam Oceano ſuas belluas relinquamus, quum fercula menſarum potius, quàm naturæ maris tam multa miracula ſimus narraturi.

De Boue bellua & Canicula. Cap. III.

SED antequam ad eos piſces, qui cõuiuijs inferuntur, propoſito ordine ueniamus, Bos ille ingentis latiq́ꝫ corporis, natantium hominum deuorator, minimè erit prætereundus. Is admirabili calliditate in mari noſtro graſſatur, portusq́ꝫ & exculta ædificijs littora ſæpius frequentat, inde occultus & quaſi torpens ſimulata ſegnitia natantes adoritur. Bẽdinellus Saulus Cardinalis ſæpius referre ſolebat, ſe ad modum adoleſcentem cum alijs eius ętatis ſodalibus natandi ſtudio, non longè à portu in mare altius prouectum, in huiuſmodi belluam incidiſſe, quæ ſedato ac maximè tranquillo in mari quieta & immobilis diſtinctè atque perſpicuè uiſebatur, cuius aſpectu adeò expauerit, ut timore prępediente ab ſolita natãdi peritia penè deſtitutus, ægrè ſe receperit: Aethiopem uerò, qui peregregius erat urinator, quiq́ꝫ ipſis adoleſcentibus corpora eorum ac animos maris periculis paulatim inſuefaciendo, natãdi artem tradebat, ſubſidenti in inſidijs belluæ obuium celeri natatu prodijſſe, ſiue ut pauentium mentes, eius monſtri incurſu conſternatas, deſpecto periculo confirmaret, uel ut ipſe ad referendum miraculum belluæ effigiem propius intueretur: ſed belluam prędę intentam illum temere adnatantem immani exceptum hiatu confeſtim deuoraſſe, neque alia infeliciter pereuntis Aethiopis edita ſigna præter ſpumam cruentam, agitato in mari ebullientem, ita ut prius multiplici & peracuta dentium ſerie confixus, quàm deuoratus eſſe crederetur. Oppianus homicidam bouem elegantiſsimè deſcripſit, cuius ſententia à Lippo pulcherrimis uerſibus Latinè tralata eſt, quum cæteri authores de hoc nullam ferè mentionem feciſſent.

Eſt & infeſta natantibus ipſa Canicula, quæ mortiferis potius dẽtibus mordicus homines dilacerat, quàm deuoret, quum capite tãtùm ſæua, caſtigatum

habeat

habeat uentrem, & in prælongam ac tenuem exeat caudam, cuius astus, naturamq; multo simul metu, multaq; audacia memorabilem, si referre conarer, insulsissimè facerem, quum Plinius incomparabili elegantia breuitateq;, uti miri eius ingenij mos fuit, suo loco eam expresserit.

De Sturione Cap. IIII.

EX omnibus piscibus, qui lautioribus apponuntur mensis, nullus est toto mari uel amnibus ipso Sturione procerior atq; sapidior. Siquidem ubiq; terrarum & maximum pretium & summam dignitatem hac ætate semper obtinuit. Maria hunc gignunt, sed eum flumina maximè nobilitãt: pinguescit enim dulcium aquarum haustu, subagrestemq; illum saporem exuit, qui præalto in mari concipitur. Magnos amnes perquam libenter subit, propterea in Nilo, Tanai, & Danubio, Padoq; fluminibus maximè reperitur.

Caput eius rostratum est, & ad effigiem quadratæ pyramidis protẽsum. Os illi est sine maxillis, sine dentibus, diuersum penitus ab reliquorum piscium forma, idq; sub mento in ipsa propè iuguli parte ad similitudinem fistulæ harundineæ rotundum, semperq; patens, & chartilagineũ & summè candidum, cuius habitum in procerioribus hasta brachij crassitudine haud facilè impleret. Cęterùm totum caput dura potius & callosa chartilagine, quàm certis ossibus stat, quod ex lento quodam & præpingui mucore concretũ esse uidetur. Naribus autem omnino, quæ illi pertenues sunt supra rostrũ, refrigeratur, quũ brãchijs omnino latis careat, & si quã hauriendo recipit aquam, illam eodem prono ore statim regerit. Toto autem dorso crassiores quædam squamæ ossea duritie, certo numero ordineq; distinctæ, intercurrente spinæ acie ad elegantiam eminent, uti in magnificentioribus ualuis hodie uidemus, quas ferrei atq; inaurati claui certa serie confixi decentissimè figurant, cæteræ corporis partes cuticulari & scabro admodum operimento potius quàm perpetuis squamis teguntur, idq; ad subuiridis atriq; coloris speciem.

Quo nomine autẽ ab antiquis Sturio fuerit appellatus, haud facilè diuinauerim, quando grauissimi nostræ tempestatis scriptores uarijs sententijs inter se dissentiant, quæ quidẽ magno etiam interuallo à ueritate discrepant. Et has quidem sententias uanis innixas coniecturis aliquanto facilius erit confutare, quàm uerum certumq; nomen celebratissimi piscis in medium afferre. Satis tamẽ fuerit, curiosos de alienis erroribus admonuisse, ut aliud ipsi accõmodatius ac melius inuestigent, si nos fortasse minus proprium nomen inuenisse uidebimur. Raphael Volaterranus, qui laboriosissimũ cunctis de rebus uolumen cõdidit, arbitratus est eũ hodie Sturionẽ esse, qui apud Græcos Labrax, apud Latinos uerò Lupus fuerit, cuius opinionẽ pleriq; Romanæ Academiæ proceres & ante alios Thomas Phædrus, & Portius Camillus omnibus cõuiuijs probauerunt, his maximè adducti argumẽtis, quòd Lupus Tyberinus longè omniũ pisciũ apud Romanos esset laudatissimus, & is maximè qui cloacas Vrbis intraret, atq; inter duos pontes caperetur, quà unà modò conditione Sturiones omnium iudicio summam saporis commendationem accipiant, sicuti eos Horatius & Iuuenalis, itemq; Marcus Varro, & Plinius & Macrobius celebrarint: referre etiam ad prisci nominis coniecturam, Sturiones hodie è nostris piscatoribus Lupos appellari, solereq; eos capto eo pisce, quum retia trahunt,

clariore uoce præ lætitia, Lupi nomen ingeminare. Quæ coniecturę multis rationibus mihi admodum friuolæ uidentur, quū id genus argumenti apud Dialecticos fallaciſsimū ſit: Lupi Tyberini ſunt delicatiſsimi, ſed Sturiones Tyberini ſunt delicatiſsimi, igitur Sturiones ſunt Lupi. In hoc enim non cōparatur totum Luporū genus cum alijs piſcibus, ſed eorū qui in Tyberi capiuntur, ab his, qui in alto degant mari, differētia exprimitur. Ridiculum enim eſſet etiam apud mediocriter intelligentes Paraſitos Lacciam, Spigolam atque Lampetram in Tyberi pariter captos, qui mox Latinè nominabuntur, uno prælato Sturione in ſecundis dignitatis gradibus collocare; quum Sturio non ſemper ſit gratiſsimus, utpote qui in medijs tantùm ſolſtitij feruoribus laudetur. Pogius doctioris Pogij filius in ſenectute nō modò eruditus, ſed uſque ad iracundiam conditura ferculorum moroſus, & uehemens Paraſitus, quum Sturionem apud antiquos Lupum fuiſſe & ipſe crederet, in pontificijs quas maximè ſectabatur, cœnis, dicere ſolebat, ueteres inſulſum habuiſſe palatum, quòd tantopere Lupum celebraſſent: eum enim carnes habere cùm pręduras, tum multa glutinoſioris ſucci exuberantia inſuaueis, quæ prius appetentes ſatient & expleant, quàm delectent. Propterea non domini, ſed familiæ potius menſis apponendum eſſe cenſebat uno tantùm excepto capite, cuius elixi & leucophago conditi latebras & receſſus omnes ipſe furcula ſimul ac digitis auidiſsimè ſcrutabatur. Sed ne in refellendis eorum argumentis nimium immoremur, dicamus Lupum alium eſſe piſcem à Sturione, Spigolam vulgari nomine nuncupatum, quo probato, Sturionem illis ſine nomine relinquemus. Spigola hodie apud Romanos eſt, qui in Venetia Varolus, Lupacius in Liguria, in Hetruria Araneus, & Lupus in Hiſpania uocitatur. Romanus inter Tyberinos captus pontes, omnium conſenſu palmam obtinet: conſtat enim piſcatorum teſtimonio, qui pluris illum quàm in alto captum mari, lautorum obſonatoribus uendunt. Is admodum uorax ſubire cloacas ſolet, & mediæ cryptas intrare Suburræ, ut ait Iuuenalis. Circa ſterquilinia & eiecticias ſordes moratur, obuia quæque deuorat, nec piſcibus ullis, uel corruptiſsimis eſcis parcit. Paucis ante menſibus quū in foro piſcario ingēs ſpigola exenteraretur, oblongus ſerpens in uentre repertus eſt. Quibus de cauſis in Tyberi mirum in modum pingueſcit & adoleſcit, nec abnuerim etiam Sturiones ſubire amnem, & pinguioribus aquis gaudere, eosq́ue tanto ſapidiores eſſe quanto magis à maris littoribus receſſerint. Sed hac ratione lupus & Sturio idem eſſe minimè probatur, quum utraque differentia ambobus æquè conueniat: ſubire enim amnem Tyberinum, & ea paſtione gaudere atque pingueſcere, proprium potius ſpigolæ, quàm Sturionis eſſe uidetur, quoniam non comparamus Sturionem in alto captum, cum eo quem in urbe expiſcamur, quum nunquam ferè Sturio uel certè rariſsimè in prçalto mari capiatur, ut piſcatorum teſtimonijs clarè deprehendimus: at contrà ſpigola & ex alto mari & ex amne Tyberi quotidie hamis uel retibus extrahatur, ita ut Horatium id innuiſſe clarè admodum exiſtimemus, quum dicit:

Vnde datum ſentis, lupus hic Tyberinus in alto
Captus hiet, pontéſne inter iactatus, in amnis
Hoſtia ſub Tuſci? laudas inſane trilibrem
Mulum, in ſingula quem minuas pulmenta neceſſe eſt;
Ducit te ſpecies uideo, quid pertinet ergo

Pro ceros

Proceros odiſſe lupos? quia ſcilicet illis
Maiorem natura modum dedit, his breue pondus.
Ieiunus ſtomachus raró uulgaria temnit.

Patet igitur lupos capi & in alto, & inter pontes, quod euidentiſsimum in ſpigolis hodie contingit.

Facit etiam ad coniecturam non contemnendam, illud, Captus hiet. Quis enim unquam Sturionem uidit hiantem? Quum os ſub roſtro habeat, & immobile & anguſtum, quodq; nullo uel uertebræ uel ductilis mandibulę beneficio dilatari poteſt, in ſpigola autem ſit repandum & latum, uti ſemper in ipſis uidemus, ſoleantq; ad elegantiam obſonatores malo arancio laſſatas illas hiantis oris maxillas adimplere.

Neque illud obſtiterit quod dicere ſolebat Amiterninus pertinax Grãmaticus, qui perpetuas cum ſyllabis lites exercuit, Horatiũ ſcilicet dixiſſe proceros odiſſe lupos, ut ſignificaret paruos maioribus eſſe præſtantiores, quod ad amuſsim Sturionibus ipſis congruere uideatur, quando lurcones & diligentiſsimi quiq; ganeonum paruos Sturiones, quos Porcelletas appellant, repudiatis maioribus conſectentur. Plurimùm enim à poetę ſenſibus bonus ille Grammaticus aberrabat: Nam Horatius proceros lupos cum ſeipſis minoribus non comparauit, ſed cũ multis trilibribus, ſicuti pauló poſt apertiſsimè declarat, dicens maiorem à natura modum lupis eſſe datum, qui mulis parũ creſcentibus ſit denegatus: uerùm is tum egregiè, & magno quidem cum ioco, quũ ſuperbè contenderet, à nobis coarguebatur. interrogantibus enim quémnã antiquitus piſcem fuiſſe ſpigolam putaret quam adeo libenter ipſe credere ſoleret, ſi Lupus Sturio diceretur, reſpondebat illam eſſe Squillam, ridendo quidem errore, ut in proprio capite de Squilla, quum de Iuuenalis uerſibus agetur, diffuſè narrabimus. Sed id me plurimum mouet, quód Spigola hodie in Hiſpania Lupus appelletur, quæ una terrarum Latinam linguam magna ex parte incorruptam conſeruauit, ipſiq; Ligures proximum Latino eius piſcis nomẽ pronunciant. Cæterùm ad tollendam huius quæſtionis ambiguitatem Ariſtotelis ſententiã adducemus: Ait enim, Lupũ eſſe ſquamigerum, & quaternis pinnis innatare: quæ differentiæ ipſum Sturionem excludere uidentur, quum non ſquamis, ſed cute potius aſperà contegatur, nec quaternis pinnis ad natandi uſum inſtruatur. Præterea Galenus in tertio de Alimentis: Lupum ait, ſubtiliorem generare ſanguinẽ, & propterea cum perdicis carnibus quadam ſimilitudine conuenire, quod nemo ſanus medicus Sturioni attribuere audebit, quum craſſum potius humorem adgeneret, & ualde lentum, quod uiſcoſum dicunt, ipſisq; aptius adultæ uitulæ carnibus, quàm perdicum leuiſsimis pulpis æquiparetur. Cornelius quoque Celſus ad corroborandam Galeni authoritatem, Lupum & Mulum inter piſces leuioris eſſe alimenti apertiſsimè dicit, quod & noſtra quoq; experientia cotidie comprobatur. Porró ipſe diuus Ambroſius in Hexamero, teneritudinem in Lupo mirificè laudat, ſicuti Plinius in eodem molliciem extollit, quum nec Sturionis præteneræ ſint carnes, & Luporũ longè tenerrimæ conſenſu omnium habeantur. Putauêre etiam Plinium quum Lupos à candore lanarum Lanatos dictos afferat, de Sturione intelligere uoluiſſe, quód Sturionum carnes plurimum albicare uideantur quaſi Lupi, uel argentearum ſquamarum candore, uel ſummo illo lactearum carnium albore, cæteros omneis piſces non ſuperent. Illud quoq; Martialis: Laneus Euganei

Lupus excipit ora Timaui, eorum opinionem apertè redarguit, quoniam Timauus flumen in finibus Aquileiensium, cuius ostia celebrata à Vergilio, hodie magna ex parte extenuata, oblimataq́;, Sturiones non habet, qui tamen Varollis & Troctis abundat. Quòd si dicatur Martialem pro Timauo Medoacum, qui hodie Patauinorum Brenta est, accipere uoluisse, eadem ratione respondemus, quum Brenta manifestè, aut nullos, aut certè paucißimos, & quidem minutulos Sturiones ferat, ita ut Martialis celabraturus Sturionē insulsè admodum ad Timauū recurrisse uideatur, quum in propinquo Padum haberet, & sua magnitudine insignem, & multa Sturionum copia longè clarißimū.

Ad certiorem quoque opinionis nostræ fidem pertinere uidetur, id quod à piscatoribus non sine miraculo de Spigolis hodie recitatur, quos ut hamo hæserint statim discurrere magno nixu, dilatareq́; uulnera referunt, ut hamorum insidiæ excarnificato sponte gutture excidant, atq; eo modo in libertatem se uendicare, id quod distinctè Plinius ipse Aristotelem secutus, commemorat.

Ex aduerso autem cōstat, Sturiones solis retibus capi nūquam uerò hamis, præsertim si cubito maiores fuerint, eosq́; piscatores referunt magno impetu plagarum sæpè maculas dilatare & abrumpere consueuisse, proptereaq́; accidere, ut hamis non capiantur, quoniam Sturiones lambendo, sugendoq́; potius, quàm uorando, inepto ad escam corripiendam ore, sine controuersia alantur. Cæterùm id me plurimū admonet, ut lupum Sturionem esse nō posse certißimè credam, quoniam & lupi omnium fermè scriptorum testimonio & spigolæ hodie, hamorum lineas dentibus serratis abrodere soleant, quod Sturiones ipsos, quum dentibus manifestè careant, efficere posse nemo sanus affirmauerit. Extat quoque apud Columellam dictum illud Philippi admodum luxuriosum, qui apud hospitem Caßino in oppido lupum sibi in cœna appositum gustabūdus expuit, addens, Peream, inquit, nisi piscem putaui, quasi uellet innuere, solos Tyberinos lupos piscis nomine dignos esse, cæteros autem lupos inter quisquilias potius quàm inter pisces esse reponendos; ex quo ego planè coniicio, illum lupum Sturionem esse minimè potuisse, quando eius tractus amnes qui sunt in Caßinate agro & in Arpinatium finibus Sturiones non ferāt. Quisnam autem fuerit ille lupus M. Philippi palato ingratus, docebimus, quum de troctis agetur.

Secunda opinio de nomine Sturionis Franciscum Philelphum principem habuit, in qua etiam nunc quosdam è nostris Transpadanis exoletę admodum eruditionis, esse uideo. Is, ut erat inter imperitos audax, utpote qui rudi illa tempestate Græcarum literarum notitia clarus atque insignis euaserat, Sturionem Latinè esse Attilum, pluribus per totam Italiam epistolis super ea re scriptis diuulgauit, indoctos appellans non sine uerborum contumelia, qui secus ac ipse crederet, de ui eius uocabuli sentire uoluissent. Sed tātum abest, ut uerum nomen inuenerit, id ipse dum alios inscitiæ bonarum literarum arguere contendit, in alium aliquāto grauiorem errorem pueriliter sit lapsus. Scribit enim Sturionem nullo modo Lupum esse, quoniam lupus sine controuersia, is hodie sit piscis, qui ab omnibus Lucius appellatur, quoniam Lycos Græcæ, Lupus sit, qui postmodum immutata litera, in Lucium, deprauantibus Latinis abierit. Exprimitq́; Philelphus effigiem illius Lucij oblongi piscis, extenti capitis, & oris maximè denticulati, qui furuas per transuersum fascias habet, dorsum item atrum, & uentrem admodum candidum, quiq́; amnibus ac lacubus

totius

totius Italię maximè ſit familiaris, quaſi præproperus ſenex non animaduerterit, Lupum quadrupedem lycum, piſcem uerò Labraca à ſuis Græcis appellari. Sed per Deos immortales, quæ nam inſania fuerit, Lupos tantopere ab omnibus authoribus commendatos, dicere eoſdem eſſe, qui vulgò Lucij uocitentur, quum Lucij plebeia potius inter obſonia cenſeantur, quàm Romæ nobilium uſurpentur menſis, ita ut nunquam, niſi in ſumma marinorum penuria, ſicut aliquando accidit piſcatione tempeſtatibus ſublata, in menſam ueniant, & id tum etiam ad honeſtandum potius patinam, ut dicunt, quàm ad cõuiuas eo edulio cõciliandos. Dicebat Pogius, Lucio, etiam ex Cimino lacu, & ei quidem præpingui, nullã unquam ineſſe gratiam, niſi cum ſolus in maxima conuiuarum inedia prãdijs apponeretur. Miror quoq; tantæ lectionis hominem apud Auſonium ea carmina minimè lectitaſſe, quibus Lucius ignobilis piſcis alius à Lupo, apud Belgas & Britãnos frequẽs nominatur, ut proprio capite de Lucio mox dicemus. Neq; mirum eſſe debet, ſi Lucius apud antiquos parum celebratus eſſe uideatur, quum paucos præter unum Auſonium, authores curioſius etiam lector ſit inuẽturus, qui de lacuum & fluuiorum piſcibus fecerint mentionem: quando Lupum inter marinos piſces, qui tamen flumina ſubeant, ab omnibus adnumerari, Lucium uerò nunquam intrare maria, uno totius Europæ conſenſu manifeſtiſsimè conſtet. Cęterùm Philelphus Sturionẽ antiquitus fuiſſe Attilum aſſerebat, unius Plinij authoritati innixus, qui in nouo Naturalis hiſtoriæ, quum de Thynnorum magnitudine loqueretur, dicit. Sunt & in quibuſdã amnib. haud minores, Silurus in Nilo, Eſos in Rheno, Attilus in Pado inertia pingueſcẽs, ad mille aliquando libras catenato captus hamo, nec niſi boum iugis extractus. Quibus adductus uerbis, Attilũ nõ poſſe eſſe alium à Sturione putauit, quum Sturiones illos prægrandes, qui in Pado caperẽtur, piſcium eius amnis longè maximos arbitraretur: quod manifeſtè falſiſsimum eſt. Nam Attilus is eſt, qui à Ferrarienſibus Adelus, ſeruato antiquiore uocabulo nuncupatur, piſcis inquam ipſo Sturione amplior, & effigie, ſapore, pretio, & tota ferè natura ab eo diſsimilis, atq; adeò diuerſus, ut in prouerbiũ Ferrariæ uenerit, quum duas inter ſe res maximè diſtantes ſignificare uolunt, eas ſic differre, ut Sturionem ab Attilo dicant, uti nuper nobis etiam confirmauit Ferrarienſium legatio, ab Alfonſo Ateſtino ad Clementem Pontificem miſſa, cuius erant principes Caſſellius celeber iureconſultus, & Antonius Coſtabilius grandæuus ſenex, uſu rerum & uitæ ſplendore inſignis. Tertia opinio Sturionem apud Plinium Torſionem fuiſſe affirmat, cuius præcipuum authorem Theodorum Gazam extitiſſe complures arbitrantur. Eam paucis antè annis acerrimè defendebat Lõgolius Gallus ſingularis doctrinæ iuuenis, & qui proculdubio ſummum Latinæ eloquentiæ faſtigium fuiſſet adeptus, niſi mors immatura eum in medio optimorum ſtudiorum curſu ſuſtuliſſet. Adducebatur ea maximè ratione, quòd Plinium uidebat Sturionis formam atque naturam in capite de Torſionibus expreſsiſſe, quum dicit: Delphinorum ſimilitudinem habent, qui uocantur Torſiones, diſtant & triſtitia quidem aſpectus: abeſt enim illa laſciuia, maximè tamen roſtris caniculanum maleficentia aſsimilati. Horum enim uerborum teſtimonio, Sturiones ijdem qui Torſiones eſſe uidebãtur, atq; ea præſertim cõiectura, quòd quum minorem quàm in Delphinis uideamus, cùm aſpectu ipſo, tum natu laſciuiam prę ſe ferant, etiam fiſtulam habeant, uti in Delphinis conſpicitur, quanquam diuerſo modo à

natura sit indita. Nam Delphini per suam expirant & refrigerantur fistulam:
ea autem pro ore Sturiones utuntur, quum,ut suprà diximus, & per nares &
paruas branchias aerem pro uitalibus refrigerandis attrahāt: nouitiumq; hoc
Sturionis nomen, antiquo Torsionis uocabulo primum alludere, ipse Lon-
golius arbitraretur. Quibus adductus argumentis Theodorus Gaza, ut erat
in transferendis Græcorum sensibus, Plinianorum uerborum obseruator at-
que imitator diligentissimus, apud Aristotelem in octauo de historia Anima-
lium, Phocænam Torsionem uerterit, ueluti ab ipso Plinio uocabulum mu-
tuatus. Cæterùm,si bona cum uenia bonis mortuis licet refragari, nos doce-
bimus Theodorum Torsionem pro Sturione nequaquam accepisse, uel si ac- 1
ceperit, plurimum errauisse: Plinium quoque per Torsionem ipsum, quem
nunc quærimus, Sturionem significare minimè uoluisse: siquidem Gaza quū
Aristotelem Latinè interpretaretur dicentem in octauo de historijs Animaliū:
In ponto fera nulla est, præter Delphinum & Phocænam, pro Phocæna Tor-
sionem dixit, quem Phocænā sciebat ab Aristotele inter uiuiparos pisces esse
connumeratum, quum Aristoteles alios piscium esse ouiparos,alios autem ui-
uiparos, id est, qui catulos parerēt,dixisset: nemo autem adeò imperitus est,ut
nesciat Sturiones esse ouiparos, ut ea cotidiano usu deprehenditur, & ex salsa-
mentis Cauiarijs,quæ ex ouis Sturionum sine controuersia conficiuntur. Ne-
que enim credendū est,tantæ eruditionis ac diligentię hominem,uti fuit Theo 2
dorus,adeò pueriliter fuisse hallucinatum, præsertimq; cum hūc ipsum locum
aliter à Plinio fuisse conuersum animaduerteret, qui pro Phocæna non Tor-
sionem, sed Vitulum marinum substituerit, ut diligenter Hermolaus in Casti-
gationibus annotauit.
Prętera apud Aristotelem Phocæna Sturio esse non potest, quum in sexto
de natura Animalium,ubi eius effigiem exprimit,clarissimè dicat,Phocęnas o-
mnino carere branchijs, sed branchiarum loco fistulam habere, quod Sturio-
nibus minimè accidit,quoniam præter fistulam oris,uti diximus,brāchias ma-
nifestè habent,quanquam paruas & angustas,si illas tantæ molis pisci compa-
remus,ita ut sturio nullo modo Phocæna esse posit.Subiūgit quoq; Aristote- 3
les Phocęnā nasci in Ponto, quod de Sturione minimè dixisset, quādo Sturio-
nes omnib. ferè in maribus facilè reperiātur, magnamq; eorum copiā insignes
fluuij alant,siuè in mare nostrum,siue in ipsum Oceanum euoluātur. Quod ue
rò Plinius Torsionem Sturionem esse putauerit, minimè crediderim,uel hoc
uno argumēto,quòd Sturionis & magnitudine & frequentia, & ipso denique
pretio admodum celebrati piscis,ab ipso Plinio nullam præterquā hoc uno in
loco mentionē factam esse uideamus,quū uel minimos & in edulijs etiam præ-
damnatos pisces, nō modò in nouo peculiari Aquatiliū libro, sed in alijs obi-
ter locis sæpius nominet atq; depingat. Vnde putandum est Plinij Torsiones,
sicuti Aristoteles asserebat,in Ponto Euxino potissimū uersari, nec temerè per
alia maria extra Hellesponti,Thracijuè Bosphori angustias euagari.Porrò Pli 4
nius,si uerba Aristotelis cōsideremus,pro Phocæna Torsionem intellexisse ui
detur,qui Torsio eodem teste, maleficus est,quoniā Canicularum rostris assi-
miletur: & ipsa quoq; Phocęna ab Aristotele ueluti maximè malefica feræ no-
mine nuncupatur. Sed Sturio quomodo maleficus esse posit,non uideo,quū
dentibus omnino careat,sic fortasse à natura formatus,quoniam piscibus nō a-
latur: Ridiculum enim esse dicere, Sturionē in pisces grassari per ipsam tantùm
lasciuiam:

laſciuiam: Nam magni piſces alios perſequuntur, ut interemptis ueluti proprio pabulo ueſcantur. Sed ut hanc inueteratam de Torſione opinionem penitus conuellamus, pauló poſt alium à Torſione & quidem ſæpius ab ipſo Plinio celebratum piſcem Sturionem eſſe monſtrabimus. Quarta opinio Hermolai Barbari fuit, uiri nobiliſsimorum ſtudiorum gloria inſignis, qui rogatus ſententiam in tanta eruditorum diſſenſione, per epiſtolam Paulo Corteſio reſpondit: Sturionem antiquitus Hyccã fuiſſe ex teſtimonio Athenæi hac coniectura adductus, quód Hycca porcum ſignificet, Sturionem autem porcelletam, quum præſertim ſit paruus, appellari à noſtris magna eius nominis cõformitate. Nihil enim melius hactenus inuenerat Hermolaus, utpote qui ingenioſus & prudens ineptas iam de Lupo, Attilo, ac Torſione opiniones repudiarat. Potuit eum mouere Ambroſius, qui in Dominica paſsione dicit, Gutto, ſiue Gulo Porcellum amat, ut comedat, quaſi per porcellum Ambroſius Hyccam expreſserit: & in Hexahemero ait, Iudæos marinis Porcis ueſci, quibus terreſtribus non ueſcantur. Sed hæc coniectura frigida admodum uidetur, quũ alius ſit in mari Porcus piſcis, diuerſus à Sturione, hodieq; plures obeſi piſces, & qui præpingue abdomen habent. Porci à piſcatoribus appellentur, ſicuti Thynnum à Strabone & à Polybio, Porcum appellatum eſſe uidemus. Cæterúm ipſe Hermolaus in Corollario quod Dioſcoridis interpretationibus appendit, Iuliadas ait uocatos eſſe Porcos, qui tamen lõgè diuerſiſsimi ſint à Sturionibus. Syagrim quoque piſcem appellari potuiſſe à nomine ſuis. Athenæus quoque, qui Hyccam authoritate Callimachi, ſacrum ueluti ob ſaporis excellentiam appellari dicit, mentionem de alio piſce intulit, quem Hyn, id eſt, ſuẽ uel aprum nuncuparint. Alij etiam Græcorum Porcum marinũ Pſammatida uel Pſammitin cognominatum putãt, ut clarè appareat Hermolaum, Hyccam Sturionem eſſe, pro cõſtanti in ea epiſtola affirmare minimè debuiſſe, præſertim quum in Caſtigationibus Plinianis, & in ipſo Corollario, de nomine Sturionis plurimum ambigere uideatur. Quem modó Tomum Thurianum poſſe eſſe dicat à Thurijs oppido Italiæ in Brutiorum ora, ut ipſe opinatur dictum, alludente uocabuli ſimilitudine, prę́ſertim quum Athenæus aſſerat Tomum Thurianum in Italia delicatiſsimum eſſe obſonium, modó eum putet eſſe Galeotem uel Xiphiam Strabonis authoritate, modó eum dictum fuiſſe affirmet Scyllam & Lamiam & Carchariam, ad extremum ueró tot nominum diuerſitate perplexus fateatur, uel Sturionẽ antiquitus his appellationibus uocitatum eſſe, uel ſic dictum à Thuriano Tomo delicatiſsimo obſonio, quod tãtopere à Græcis celebretur. Sed illud me præſertim mouet, quód nemo authorũ, quos legerim, præter unum Athenæũ de Hycca pariter & Tomo Thuriano fecerit mentionem, quando Sturio celebratiſsimus piſcis, ut ſępius dixi, certo claroq; nomine fuerit appellandus. Verúm hæc noſtra inuenta, quæ ludendo excogitauimus, in bonam partem à lectoribus accipi uelim, atq; eo animi cãdore quo ſcripſimus à doctioribus perpendi. Non enim is ſum, qui obtrectatione alienę laudis eruditior uideri uelim, quum ulla in parte cum his, quos ſupra redargui, uel ingenio, uel eruditione minimè ſim conferendus. Igitur in tanta eruditorũ altercatione licebit & mihi propriam attuliſſe opinionem, ita tamen ut cum præfatione prius atteſter, me tandiu in ea ſententia permãſurum, donec aliud, quod magis arriſerit, diligentiores inuenerint. Dicamus igitur Sturionem ab antiquis Silurum fuiſſe appellatum, quem pro Glani Theodorus apud Ariſto

telem interpretatur. Sed de hoc, quum plures apud me certiores sint conie ctu-
ræ, hoc uno tamen maximè argumento adducor, ut Sturionem opiner esse Si-
lurum quoniam mirum hercle uideatur, quòd hac ætate, quis nam piscium an-
tiquitus Silurus fuerit, penitus ignoremus, qui adeò in mari ac fluuijs testimo-
nio Aristotelis, Plinij, Athenæi, & Ausonij sit celebratus: ex aduerso autem de
Sturionis antiquo nomine plurimum dubitemus, qui sit omnium ferè totius
orbis fluuiorum incola longè notissimus. Neq; enim credendum est, ueteres
adeò insulsi fuisse gustus, ut arbitremur eos Sturionem minimè cognouisse, aut
Silurum ipsum ueluti aliquo naturæ defectu, tota eius generis extincta sobole,
penitus euanuisse. Silurus, authore Plinio atq; Ausonio, fluuialis pariter ac ma 1•
rinus est & quidem prægrandis, sed pręcipua magnitudine in Nilo & Gange,
ueluti amnium maximis cæterùm carne prædulci, nullis ossibus uel spinis in-
tersitis, rostro itẽ, caudaq; Delphino simillimus, ita ut cõpellare eos libeat, qui
propterea Torsionem Sturionem esse uolebant, quòd effigie ac rostro Delphi
nis assimilaretur. Ideo uerò me etiam plurimum mouet, quòd in Nilo, Bory-
sthene, atq; Danubio, uti Plinius de Siluris ait, etiam nunc frequentissimos
Sturiones esse cognoscamus. Nam in omnibus Nili ostijs & superius propè
Mẽphim Aegypti Sturionem expiscantur. In Borysthene uerò, qui hodie Ne-
per est amnis, Phasiq; & in ipso Tanai apud Tanam emporiũ tanta eorum est
copia, ut cetarię ibi institutæ sint officinæ, in quibus ea salsamenta ex Sturionũ 2•
ouis salitis, quę Cauiaria dicimus, itemq; ipsa schinalia ex summo Sturionis spi
nali dorso, sale fumoq; inueterata conficiantur. In Danubio autẽ adeò frequẽ-
tes sunt & magni, ut ex eo minores etiam amnes subeãt qui in ipsam influunt,
sicuti Drauã, Sauum, & Tybiscum, & ut mirum nõ sit eos etiam Menim amnẽ
subire sicuti Plinius ait, propter Lisboum, in quo Siluri, ut in Danubio, inna-
tantes equos deprimant. Menim autem cum Hermolao eum amnẽ esse putaue
rim, qui alio nomine dicitur Oenus: is Sueuorum gentem è Vindelicia ab Au-
stris, qui Norici sunt, diuidit, Danubioq; miscetur, ita ut ab istro Istrionem pi-
scem hunc esse dictum putem, quo in amne sit insignis, ut hodie uidemus & A-
thenęo placet, qui Silurum Istrianum siue Danubianum honoris atq; excellẽ- 3•
tiæ causa ubiq; nominauit. Sed audiamus Ausonium de Siluro in Mosella ca-
nentem, qui ignobiles etiam Tuncas minimè prætereijt:

Nunc pecus equorum celebrare magne Silure
Quem uelut Actæo perductum tergora oliuo,
Anniculam Delphina reor, sic per freta magnum
Laberis & longi uix corporis agmina soluis,
Aut breuibus defensa uadis, aut fluminis uluis,
Aut quum tranquillos moliris in amne meatus
Te uirides ripæ, te cærula turba natantum,
Te liquidæ mirantur aquæ, diffunditur alueo 4•
Aestus, & extremi procurrunt margine fluctus
Talis Atlantico quondam Balæna profundo.

Quid enim certius notari, exprimiue potuit his uersibus quàm pro Sturione
Silurus? Qui & magnus & fluuiatilis pariter ac marinus & Delphino similis,
ac ipso tergore uerum olei colorẽ referre uideatur. Conueniunt profectò hæc o-
mnia Sturioni, & quidẽ ad amussim, ita ut necesse sit eos qui id nauigauerint,
& afferre aliquẽ magnũ piscem ex his fluminibus pro Siluro, qui sit à Sturione
diuersus

diuersus, & alium ostendere apud Ausonium, per quem poeta Sturionem uoluerit demonstrare. Non enim credibile est, cum, qui minimos quosq; fluuiatiles propria nomenclatura persecutus est, ipsum Sturionẽ proculdubio uel sua magnitudine, uel dignitate annicularum Regem adeò somniculosè pręterijsse. Illud quoq; opinioni nostræ aliqua ex parte suffragatur, quod in Canarię insulæ amnib. (ea ad Atlanticum uergit Oceanum) multi ac optimi Sturiones piscatione capiantur, uti Hispani, Lusitaniq; referunt, qui dũ nouas incogniti Orbis terras inusitata ac admirabili nauigatione per immensum Oceanũ quærũt, Fortunatis insulis aquationis gratia quotidie applicant: cuius Canariæ amnes ipse Plinius Siluris abundare commemorat. Neq; mirum est, quum is piscis omnium magnorũ amniũ sit familiaris, uti in Thamesi Britãniæ, alijsq; amnibus qui in Oceanum erumpunt, manifestè conspicimus. Hispania autẽ omnis Sturionem, Sulium appellat, ita ut parum ea uox à Siluro qui item & Sulius dicitur, abesse uideatur: quando, ut antè dictum est, una terrarum Hispania ueterem Romanæ linguæ sonum atq; ipsa uocabula non sine rubore dediscentis Italiæ retinuerit. Quomodo autem Siluri in Sturiones abierint, nuper docuit, & quidem, ut arbitror, felicissimè inuenit Michael Syluius apud Clementẽ Põtificem Lusitanię regis Legatus, qui, uti est optimarũ literarum atq; omnis antiquitatis scientissimus, testatur Sulios longè optimos, omnium confessione in Asturia reperiri, unde Asturiones dicti sint, ueluti ab regione nobilissimos producente nouũ cognomentum uetere repudiato nomine, retulisse uideãtur. Diuus quoq; Ambrosius opinioni huic nostræ astipulatur, quũ dicit: Silurus de aliorum piscium uermibus uiuit. Sturiones nãq;, uti diximus, grãdiusculos pisces deuorare nequeunt, quũ ore sub rostro à natura cõstituto, non facilè nisi minutissimos corripiant, & propterea solis suctionibus nutriatur, ut etiam Albertus Magnus asserit, apparetq; hodie in his euisceratis, in quorum uentriculo qui perangustus est, nunquam deuorati pisces reperiantur. Subdit tamen Ambrosius, inutilis sæpe præda piscantium, ut uideatur in edulijs Silurum minimè commendare, sed ego, in, syllabam temerè à librarijs additam putauerim, siquidem Silurus apud Athenæum dicitur sapidissimus. Quum enim Latum piscem Siculo in mari frequentẽ uellet laudare à carnis candore suauitateq;, eũ Danuciano Siluro comparauit. Neq; illud Plinij parum cõuenire Sturioni autumauerim, quum dicit: Silurus carne prædulci, nullis ossibus spinisúe intersitis, quum Sturionem habere ossa manifestè appareat. Existimo enim Plinium intelligere uoluisse Silurum una tantùm perpetua, qua trajcitur, spina esse contentum, nullasq; subinde spinas (uti in alijs accidit) à spondylis oriri, quibus tota caro, corporisq; ambitus ueluti costis sepiatur, delicatæq; illæ pulpæ multo cùm fastidio tum periculo comedentium contineantur. Cæterùm, uti ego arbitror, Sturiones non eo in pretio fuère antiquioribus, ut nostris temporibus uidemus, siue quòd eius caro per se dura, & multo mucore pinguedinis repleta, celeriter sui desiderium primis mensæ congressibus auferat, siue quòd pergrauis ac molesta tenuioribus stomachis esse deprehendatur. Videatur & nonnullis Iuuenalem, uilem omnino piscem Silurum annotasse, quum dixit: Vendere municipes fracta de merce Siluros: sed uẽditorem potius uilẽ quàm mercem ipsam, hoc est, Crispinũ ab Aegypto, Iuuenalem innuisse crediderim, qui Siluros fractos, id est, membratim cæsos, uti hodie uidemus, aliquando in humiliore Fortuna uenditarit. Quo in loco Iuuenalis, Georgius Merula

oculatiſsimus Grammaticus, Siluros nō eſſe multum abſimiles à Sturionibus arbitratur, utpote qui iam animaduerterat illos qui Lupum, Attilúmue, Torſionémque & Hyccam, Sturionem dicerent, à ueritate plurimum errauiſſe. Quātum autem pertinet ad piſcis naturam, dicimus eum tardè concoqui, & propterea ex eius excretionibus multam generari pituitam. Vitium eius carnis aliqua ex parte tolleraretur, ſi in tabellas pollicis digiti craſsitudine ſecaretur, torreretúrque in craticula, & quidem ex præcepto Galeni, oleo, ſale, acetoꝗ; leni, atque iterata aſpergine inditis, ſed qui palato potius quàm ſtomacho ſtudere uidentur, elixum eum cum leucophago paſsim comedunt. Is quum toto ferè capiatur anni circuitu, æſtate tamen adulta longè probatiſsimus æſtimatur. Siluri felle cum Attico melle permiſto ſuffuſos boum oculos ueteres inungebant, ut Aetius affirmat, qui medicæ artis præcepta Græco ſermone conſcripſit. Sed id potius ex eius humoris acredine, quàm ab occultiore Siluri piſcis proprietate prouenire putauerim, quum etiam ex felle quadrupedùm ac uolucrum, & inter alias perdicum, ægris hominum oculis nota collyria inijcere ſoleamus.

De Vmbrina, Cap. V.

SECVNDVM Siluros, Sciena è grandibus primam ſaporis obtinet claritatē. Eam M. Varro & Columella Vmbram appellant, quam & Ennius quoꝗ; celebrauit, ut ex Apuleio deprehēditur dum ait: Melanurum, Turdum, Merulamꝗ;, Vmbrāꝗ; marinam. Hæc tota latioribus ſquamis integitur, denticulata eſt, & Ariſtotelis, Plinijꝗ; authoritate in capite lapidē habere conſueuit: agilis eſt & plurimum uorax. Propterea Auſonius ait: Celer Vmbra natatu. Capitur cū Siluris frequēter circa oſtia fluuiorùm & in alto etiā, quod Siluris non contingit. Ipſa quoque diebus Canicularibus pingueſcit, pariꝗ; ferè pretio cum Siluris æſtatis tēpore uenundatur: eam hodie Romani Vmbriam uocant. Capita Vmbrarum, ſicuti & Silurorum Triumuiris rei Romanæ conſeruatoribus dono dantur, qui piſcatores, inueterata quadam conſuetudine eorum capitum tributi nomine ueſtigales fecerunt. Capiti enim ſumma ineſt gratia, authoritate etiam Archeſtrati, qui in parandis obſonijs, quòd eorum ingenioſiſsimus eſſet artifex, Dædalus à Græcis appellabatur. Is Vmbrini capitis nobilem quandam cōdituram, ut apud Athenæū uidere eſt, multis carminib. expreſsit: propterea hodie etiam, quū pretio parari non poſsint, guloſi ea capita quàm auidiſsimè conſectantur. Extat adhuc in ore quorundam facetorum ridenda fabula de T. Tamiſio, qui Romanis aulicisꝗ; ſalibus erat inſignis, ſed gulæ adeò proſtitutæ, ut infamis haberetur. Is quum per ſeruum, qui in foro piſcario in eam curā intentus excubare ſolebat, ingentis Vmbræ caput Triumuiris delatum eſſe cognouiſſet, in Capitolium protinus aſcendit, ut ſimulato apud magiſtratū negotio, ſermoneꝗ; de induſtria protracto, prandium captaret. Verum illud Triumuiri iam Riario Cardinali donandū decreuerant: ita Tamiſius quū limine curiæ efferri ingenti coronataꝗ; patina caput illud nobile conſpexiſſet, primo deceptus conſilio, illud ſubſecutus eſt præmiſſo ſeruo, qui ueſtigijs deferentium miniſtrorum inſiſteret. Nec multò poſt quum Riarianis ædibus inferretur, bene habet, ſalua res eſt, inquit Tamiſius, opiparè excipiemur: erat enim in primis menſæ Riarianæ, quæ longè omniū ſemper lautiſsima fuit,

familiaris.

familiaris. At Riarius, ut erat natura munificus, maximum, inquit, hoc Triumuirale caput maximo debetur Cardinali, ſtatimq; Federico Sanſeuerino proceritatis admirandę Cardinali tranſmittitur. Colligit extemplò togam Tamiſius, Riarium intempeſtiuæ munificentiæ incuſans, in mulamq; reſilit, & munus ad Sanſeuerianam domum conſequitur. Idem pari liberalitate facit Federicus, caputq; ipſum ſplendidis exornatum uerbis, aurataq; illatum patina Ghiſio publicano ditiſsimo deferri iubet, quòd ei multo ære alieno, grauibusq; uſuris obſtrictus erat. Volitat tertia iam ſpe auidam fruſtratus gulã æſtuans Tameſius, feſtinabundusq; incaleſcente iam die in Tranſtyberinos hortos, quos ipſe Ghiſius magnificentiſsimos extruebat, contendit: ibiq; feſſus admodum & multo ſudore madidus, quòd grauis ſit abdominis, quartò à Fortuna decipitur: quippe qui Ghiſium caput illud recẽtibus floribus redimitum adamato ſcorto, cui ab forma eruditisq; illecebris Imperiæ cognomen fuit, ut extemplò deferretur, curantem reperit. Flectit itaq; indignabundus habenas retro, nec tamen ſubiratus gulæ, quæ Herculeos labores attulerat, & ad Imperiã iam multo ſole Sixtini pontis ſemitam exurẽte adequitat. Ad extremum anhelantis gulæ ea uis atque libido fuit, ut qui per totam urbem fuerat raptatus, idem & togatus & ſenex cum ſcorto admirante noui hominis aduentum, nullo pudore diſcubuerit, ſic ut mirari deſinamus Apitium, qui, ut ait Athenæus, cum Linterni Aſtacos cancros piſcaretur, audiſſetq; longè maximos & nobiliſsimos in littore Africo reperiri, eò properè ſtimulante gula, inſigni nauigio delatus eſt. Statimq;, prius quàm in terram deſcenderet, occurrentibus ibi piſcatoribus cũ Aſtacis, quòd famæ expectationiq; minimè reſpondiſſent, protinus conuerſis uelis, nec ſalutata quidem Africa in Italiã ad grandiores Aſtacos ſit reuerſus. Cæterùm eadem propè Vmbrinæ ac Siluro carnium conditio: utræq; enim, ut diximus, non mediocre imbecilloribus ſtomachis negotium facere conſueuerunt.

De Thynno, Cap. VI.

THYNNI multitudine ſua omnibus littoribus ſunt noti, gregatim uagãtur, ob id Euripis maxima eorum eſt captura. Irrũpunt Maio menſe in mare noſtrum ab Atlantico Oceano cõgentibus Xyphijs, hoc eſt, Spathis piſcibus, qui telo à roſtris prominente inſtructi, eos toto mari perſequuntur. Simpliciſsimi ſunt piſcium, propterea uel inanibus terriculamentis acti facilè uadis atque littoribus intrudũtur: eo modo Gaditanus populus infinitam eorum multitudinem magno quæſtu ſolenniq; ſpectaculo retibus extrahit. Saturantur inde captorum recentibus pulpis circumfuſæ gentes, reliqua illorum multitudo cetarijs infertur, ſaliturq;: aſſeruati uerò membratim cadis celebri mercimonio per omnem ferè Europam diffunduntur. Verùm ſolo abdomine ualent, quæ pars à Romanis Tarentellum dicitur, quòd etiam Tarentino in ſinu, ubi opima piſcium omnium captura eſt, Thynni ſale aſſeruẽtur: reliquæ corporis partes, utpote quæ pingui ſucco admodum careant, in ignobilis populi uſum ueniunt, quæ Melãdrya à Plinio nuncupantur. Primus ab ipſo ſtatim ouo Thynnorum fœtus Cordylla dicitur, qui mox in Limarias euadit: ex Limarijs autem adoleſcentibus Pelamides fiunt, ſic à luto dictæ, quas nunc etiam Palamius uocamus: quum uerò Pelamides pedalem exceſſere magnitudinem, in Thynnos

abeunt: porrò ex Thynnis, ut Athenæo placet authoritate Soſtrati, quum in ſummum excreuerint, Orcyni infeſti cæteris piſcibus efficiuntur. Adeò enim Thynni augentur, ut Pliniĳ teſtimonio, caudæ eorum latitudinis duorũ cubitorum reperiãtur, qui poſtea quindecim talentis pepẽderint. Sed huic opinioni aduerſari uidetur Ariſtoteles, quum aſſeueret, Thynnos biennio uitam finire, idq; eſſe compertum uериſimili admodũ ratione; quoniam certo anno cum piſcatoribus Limariæ defeciſſent, Thynni etiam ſequenti anno defecerunt, ueluti omnibus fermè captis Limarĳs nullæ reliquæ ſuperfuerint, quæ in Thynnos adoleſcere potuerint, ita ut credam Thynnos biennĳ ętate excedentes alĳs nominibus appellari, ut Orcynus & Pompilius nauigiorum comes, quem de genere Thynnorum eſſe Plinius arbitratur. Circa ortum Caniculæ œſtrum patiuntur, parua animante ſub pinnis aculeum infigente, quo dolore incitati, nauigia plerunq; tranſuolant. Idem accidit Xiphĳs, quos modò nominaui. Capiuntur ĳ circa Zephyriũ quod extremũ eſt Italiæ promontorium, Spartiuẽtum à nautis hodie nuncupatum. Retulit Ioannes Marius Cataneus Nouarienſis multarum literarum notitia inſignis, qui Locrenſi in littore Xiphiorum piſcationi interfuit, eos tãta eſſe ingenĳ docilitate, ut Græcanicum ſermonem, quo ille Magnæ Græciæ tractus utitur, ab Italico diſtinguere uideantur, idq; admirandis argumentis deprehendi, quum Græcas uoces minimè reformidẽt, ad Italicarum uerò ſonum repentè diffugiant, quod complures Brutĳ teſtati ſunt. Ii in Oceano Indico, in tantam augentur magnitudinem, ut ualidiſsimis roſtris Luſitanarum nauium latera ad ſeſquipalmum aliquando perforarint. Xiphĳ bonitate & pretio Siluris fermè ſunt æquales, uerùm hęc littora rarò adeunt, ueluti qui perpetuis maris æſtibus, ut in fretu accidit Siculo, gaudere uideantur: propterea Xiphĳ forma, ut in alĳs fiet piſcibus pictura non exprimetur, quòd cum uidere hactenus mihi non contigerit. Sed Thynni pariter ac Xiphĳ, quum œſtrum patiuntur, ueluti noxĳ damnantur menſis. Cæterùm Thynni eximiè pingueſcunt, adeò ut Porci iure ipſò nuncupentur, cum etiam, ut Polybius tradit, in profundis littoribus, ut porci ſolent, glandibus uеſcãtur. Thynni recenti pulpa iuxta uentrem, ipſoq; pingui ſumine, ſicuti palato grati, ita ſtomachis languidioribus, quibus nauſeam pariunt, ualde inimici; circa uerò dorſum & caudam contraria ratione: quemadmodum ab nimia ariditate parum delectant, ita ſuperfluo nudati humore minus officiunt. Falconius Etruſcus plebeius ganeo, ſed eruditioris gulæ, quum in Hiſpania cetarĳs præeſſet, nouum ac ſapidiſsimum obſonĳ genus è Thynnorum uentre commentus eſt, circũciſo abdomine umbilicos enucleando, & ſale, acetoq; & feniculo incluſos cadulis condiendo, ita ut mox id cibarĳ genus pleriq; appeterent, ac propter iucunditatem mirarentur, quẽ modò ut inutilem ex officinis euerrere conſueuiſſent. Sed in uniuerſum ſaliti Thynni, ſicuti uim alleuandi intermortui guſtus mirificam habent, ita multa bile aggenerata, ſanguinem incendere, iecinoraq; adurere conſueuerunt. Recentes pulpę rectiſsimè coquũtur in uino Corſicano & oleo, pipere etiã cum cepis minutatim cæſis ſupperaddito, quod genus condimenti Azeminum Ligures uocant. Pelamides autem multum nutriunt & urinam cient, ſed tardè coquuntur authore Athenæo, qui tamen eas ſalitas ſtomachis conferre teſtatur. At Thynnorum iecinoribus mira proprietas ineſſe traditur, ad prohibendam puerorum lanuginem, improbo quidem Mangonum inuento, qui quum mares caſtrare dirum atque crudele nimis

ducerent,

ducerent,ipsa tamen uirilitatis initia retardare, ueluti proposita pleniore libidine,contendebant.

De Lechia. Cap. VII.

EST & alius generosus piscis magnitudine atque colore medius inter Thynnum & Vmbrã,quam Rom.pariter & Ligures Lechiam appellant. Eam aliqui Centrinam antiquitus fuisse arbitrantur, quoniam pugnacissima sit, & atris solidioribusq; aculeis, quanquam non omnino longis circa dorsum armata,ut Oppianus de Centrina expresit. At Lechia Corio integitur minimè squameo, sicuti in Thynnis uidemus, sed leui & splendido,quod argenteum est,& cœruleo colore perfusum, caudæ uerò pinna crescentis lunæ figuram efficit,concaua illa rotunditate ad circini ductum effigiata. Eius etiam generis quæ latiorem habet uentram,uulgo piscatores Lopidam & alium Lopida aliquanto minorem Stellam appellant.Ego Lechiam antiquitus fuisse Amiam putauerim,quã Plinius cũ Tynnis exire Pontũ asserit: nã tota specie maximè Tynnis cognata esse uidetur; & Oppianus audaces Amias appellat, quas cõparat Thynnis,& inire prælia cũ Delphinis dicit. Aristoteles quoque Amias carniuoras esse, & serratos habere dentes,branchiasq; cõtectas testatur, quæ branchiæ adeò patulæ mihi minimè uidentur in Lechia,uti in alijs,ueluti Vmbris & Lupis & Coracinis conspicimus. Sed ut de hoc nihil certi proferã uerba Oppiani me mouent,qui dicit,Amias hirudinum more, Delphinorũ exugere sanguinem,quod Lechijs attribui iure non potest, quum & in tripedalẽ crescant magnitudinem,& peracutis dentibus,solidisq; aculeis sint instructę, quibus armis non sugendo,sed pugnando per uulnera & cædem, de Delphino uictoriam consequantur. Verùm hoc de minoribus fortasse Amijs dixisse Oppianum aliquis existimabit.Illud quoque Aristotelis de Amijs parum Lechijs conuenire uidetur:ait enim,propterea Amias sic dictas, quòd gregatim uagentur,Lechias autem solitarias sæpius capi manifestum est, quod rarò accideret,si turmatim uti Thynni,& plerique alij pisces per altum & litora deferrentur.Cæterùm ut Amiam hodie Lechiam esse credamus,etiam id argumento esse potest,quòd Amiæ & pręteneta & gustui suauissima carne à Gręcis authorib.esse tradũtur:nã,uti citat Athenæus,& Epicharmi,qui de Sirenib.scripsit & Archippi antiquissimi poetæ carmina extant, quib. Amiæ ab ipsa gratiore pinguedine magnopere cõmendantur. Ipse quoque Archestratus, qui uniuersam terrã, cũctaq; maria peragrasse uisus est,ut gulæ delitias singula ubique edulia explorando,gustãdoq; diligenter exquireret,Amiã ueluti nobilissimũ piscẽ in nuptijs Hebes celebrauit,docuitq; solẽni præcepto eã felicissimè coqui,si cõspersa origano,& inuoluta iũco,cucurbitęq; folijs ad ꝓhibẽdũ succi delicatioris effluuiũ mitiorib.flãmis torretur. Modò aũt constat Lechiã laudatissimo sumine & sapore prępinguiũ pulparũ esse preciosam, cuius capita Sturionum,Vmbrianarumq; capitib. Romæ onium iudicio pręferũtur. Probatissima autem in Ligustinis litorib. capitur. Ottobonus Fliscus genere ac hospitalitate illustris, quum Genuæ essem, festiuo matronarum conuiuio tricubitalem nobis apposuit Lechiam, quæ non modò Romanorũ sed & pelagiorum piscium omnium laudes magno interuallo superauit, ita ut aliqui subtilioris gulæ homines pulparum suauitate allecti semesa ex Lechijs

obſonia in contumeliam auiũ atq; quadrupedum, in alterum diem reponi ſibi plerunq; pręcipiant. Quo fit ut Lechiam proculdubio fuiſſe Amiam fateamur, quum nullũ qui inſigni ſapore præſtet, piſcem ſine certo Latino nomine ſimus relicturi, & nullus ab ipſa Lechia piſcis hodie nobis occurrat, quem Amiæ nomine appellare audeamus. Neq; enim mihi perſuaderi poteſt, ut eam in illorũ ſentẽtiam, qui Lechiam eum eſſe piſcem credunt, quem pro Sturione Hyccam putauit Hermolaus, eo leui argumento, quòd Hycca præpoſito articulo, ſicuti nunc Italiæ ueterem elocutionem amittentis mos eſt, in Lechiam abijſſe uideatur. Porrò Iceſius in libro de Materia, Amias ab optimo ſucco teneritudinemq; commendauit, aitq; non multa cum difficultate in uentriculis ſecerni, ſed non multum omnino præbere nutrimentum.

De Coruo, Cap. VIII.

CORVVM eundem eſſe & Coracinũ Theodorus Gaza exiſtimare uidetur, ueluti à Coruo Coruulus: ſiue Coracinus deſcẽdat: cui Hermolaus & Volaterranus refragantur, quoniã authoritate Athenæi Coracus à uerbo Græco, quod genas oculosq; frequẽter mouere ſignificat, nõ autem à Coruo, qui Gręcè ſit Corax dictum exiſtiment. Ego autẽ ſecus ac Volaterranus putat, Coruũ genere ipſo à Coracino minimè differre arbitror, ea maximè ratione, quòd de Coruo nullã à probatis ſcriptoribus mentionem fieri conſtet: authoritate uerò omnium antiquorũ, Coracinus ſit & latus piſcis & ſubniger & ſquamoſus, quæ differentiæ ei, quẽ nos hodie Coruum appellamus, manifeſtè conſentiũt: nam Coruus gibberoſus eſt, & proportione cæterorum ſquamoſorum admodum latus uidetur, uti accidit Coracinis, quos Parmenio Rhodius, qui ſcripſit de re Coquinaria, ut allegat Athenæus, Platiſtaticos à latitudine corporis appellauit. Nigricantes quoq; in Coruis pinnas conſpicimus, quas Ariſtophanes in lib. de Paluſtribus Coracinis attribuit. Sunt enim pelagij & fluuiatiles Coracini. Verùm hæc noſtra flumina nullos aut certè rariſsimos ferunt, in Nilo tamen, Plinio Martialeq; authoribus, & in amne Bethi ulterioris Hiſpaniæ repe riuntur: Gadibus uerò & circa fretum Herculeum laudatiſsimi ſimul ac maximi, pares Niloticis capiũtur, quos Zeos, & item Fabros à calore atræ fuliginis appellabant. Coracinus ex his eſt piſcibus, qui commodè atq; feliciter ſaliuntur, ſicuti Galenus in libro de Alimentis refert. Eum ſalitum Eutidemus apud Athenęum, qui de ſalſamentis ſcripſit, Sarpedam uocari affirmat, ita ut Perſius idem intellexiſſe uideatur, cùm dicit:

Sarpedamq; aduehe ponto.

Nos uerò cum ęſtate frequẽtius quàm hyeme, ut Plinius author eſt, cum capiamus, feruenti oleo ad mediam cocturã mergere, & extractum protinus ſale aceto q; in ſportulis myrti folijs certo ordine ſubſtratis reponere ſolemus, qua induſtria aduerſus omnem caloris cõtumeliam per hebdomadas aſſeruatur. Coracinus & præſertim Niloticus pręduIces habet carnes: quẽ uerò proximis littoribus expiſcamur, tripedalẽ ad ſummam non excedit magnitudinem, ſed carne & aridiuſcula, & ob id ab his qui gulæ delitioſius ſtudent, parum laudata. Athenæus elixo toſtum meliorem eſſe teſtatur: nos uerò contraria conſuetudine, quum recentes & grãdes nanciſcimur, ęneis excoquimus cacabis ſimplici in aqua, extractum'ꝓ uirentibus petroſelini folijs coronamus, ſicuti etiam fit in Vm-

in Vmbrinis, quas & ſapore & ſquamarum latitudine plurimum referũt. Neque id inepta ratione: nam duriores eorum pulpæ omnem penitus ſaporis gratiam amitterent, niſi aliquo iuris lenocinio ab innata illa duritie mollirentur. Cæterùm quanquam concoctu ſunt difficiles: paralyticis tamen mirè conferunt, ut author eſt ille Plinius, qui de Medicina librum conſcripſit. In Coracini capite lapillus inuenitur, quem puerorum collo pro amuletis ſuſpẽſum, regio morbo aduerſari, ignobiles quidam authores tradiderunt.

De Spigola ſiue Lupo, Cap. IX.

LVPVM antiquitus fuiſſe, quẽ Romani Spigolam, Varolũ Veneti, Etruſci Araneum, Hiſpani Lupum, Ligures uerò Lupacium appellant, in capite de Siluro diffuſè mõſtrauimus. Solertiſsimus piſcium habetur, idem & delicatiſsimus, præſertim è Tyberi, & inter duos pontes, quòd aquæ ſubiecti fluminis ab multis cloacarum effuſionibus pinguiorem eſcã ſubeuntibus prębeant. Lupus hamo captus vulnera contempto dolore fortiſsimè laxat, & excuſſo hamo protinus refugit: incluſus uerò retibus, imis in uadis ſulcum crebro motu caudæ reiectis harenis facit, atque ita ſubterlabitur, ut Oppianus author eſt, & hodie piſcatores, maioribus etiam miraculis additis, uno conſenſu fatentur. Propterea ab ipſa uehementia à Græcis Labrax appellatur. Parit bis in anno Lupus, ut Ariſtoteli placet. Summa ineſt ſaporis gratia hyeme captis & Ianuario præſertim menſe: tunc enim & teneritudine, ut diuus ait Ambroſius, & mollitie, candoreq́;, ut Plinius aſſeuerat, maximè commendantur. Luporum aliqui ſunt lanati uel lanei à candore, ut Plinio Martialiq́; uidetur: aliqui uarij, ut Columellæ placet, qui in piſcinis, ait, includi poſſe Lupos ſine macula, quos ſecernit ab his qui uarij ſunt, ita ut proculdubio credam Varios maiores apud Ambroſium eſſe de genere Luporum, quos & Troctas appellat. Troctam enim eſſe Lupini generis apparet, ut aſpectu, mutuaq́; naturæ collatione perſpicitur, ut latius in capite proprio de Trocta diſſeremus. Cæterùm Luporum carnes in ratione ualetudinis à Galeno mirificè laudantur, quòd ſubtiliorem generent ſanguinem, & perdicis carnibus æquiparentur. Athenæus autem Lupos ait boni eſſe ſucci, & non multi nutrimenti, quorum tamen ſuperfluitates non facilè ſecernantur: ſed Cornelius Celſus, Lupos ſicuti & Mulos, leuioris eſſe alimenti teſtatus eſt.

De Cephalò, Cap. X.

MVGILES Gręco nomine Cephalos Romani uocant, qui in plura genera partiuntur. Aliqui enim à capitis amplitudine Capitones: aliqui à prominulis inferioribus labris Labeones, qui hęc cognomẽta Romanis familijs indiderunt: alij itẽ Ceſtres, alij Bachi, alij demum Myxini & Chelones & Leuchiſti & Mucones appellantur. Capitones mẽſe Decẽbri graueſcere ait Ariſtoteles, qui id genus piſcium & in mari & in ſtagnis & in fluminib. gigni, ut uidemus, aſſeuerat. In uniuerſum Mugiles ſunt uelocitate admirabili, ut ſagittæ arcu emiſſæ, quũ laſciuiunt, uel retia ſaltu tranſuolant, eſſe uideãtur: è mari aliquãdo amnes & ex fluuijs ipſa maria ingrediuntur. Animal eſt minimè maleficum, utpote quòd alga tantùm ac herbis atque his, quæ in profundo uado ac ripis

sunt, quisquilijs nutriatur: propterea cæteri pisces qui minimè in alios grassari solent, Mugilem, ut sanctum ac optimum in honore habent & uenerãtur. Probat eos Galenus, qui marinis fluctibus exercentur: eos uerò, qui in stagnis & fluminibus urbium sordes & sterquilinia alluentibus maximè detestabiles asseuerat, quòd ex eo alimento admodum fœculento uitium contrahant. Dorionis quoq; authoritate marini fluuialibus præponuntur: sed ij præsertim sunt pessimi, qui sua sponte in stágnis atq; paludibus ex limo nasci dicuntur, ut sunt qui in Etruria ex Prillino lacu apud Orbatellum ad mediterranea deferuntur, ita ut & illos etiam uituperare liceat, quos Padusæ atq; ipsi lutulẽti Fossæ Clodiæ canales, uiscere prætenero Ferrariensibus & Venetis copiosissimè prebẽt. Icesius Græcus author Athenæo perquam familiaris, idem & coquus & medi- 1
cus, cephalos & gustui gratos & laudabilis succi esse asserit. Galenus uerò eos tardissimè, & multo quidem uentriculi cum labore digeri, atq; secerni prædicat, præcipitq; in eorum conditura debere addi herbam origanum, cuius uirtute facilior excursus ad uentrem inferiorem fieri uideatur: eos tamen salitos minus noxios esse testatus est. Nos uerò Cephalos omnes plenius eos in cœna comedentibus dolorem capitis, quem morbum medici recentiores Cephaleã dicunt, post paucas horas inducere sæpe deprehendimus, maximè si ad lautiores cœnas stomachi tenuiores accesserint.

De Aurata, Cap. XI. 2

VETERES non modò Auratam piscem in honore habuerunt, sed & Sergij Romani patritij luxuriosa eius piscis æstimatione perpetuum familiæ cognomentum fecere: siquidem à mari, Auratarũ, aliorumq; pelagiorum pisciũ semina atq; uiuaria in mediterraneos lacus deferebant, ut in obsequium popinarum tralata maria uiderentur, quæ prætiosa edulia dulcioribus denegata undis, improbo opulentiorum studio, quotidianis cœnis copiosè suggererẽt, sic Auratas, Lupos & Murenas suburbani lacus, Sabatinus & Ciminus, & multo remotiores Vulsinensis & Velinus aliquando procrearunt, quæ seminaria degenerante sobole, quum externi pisces parum feliciter alienis in sedi- 3
bus prouenirent, paulatim interiére. Ex Auratis, quæ toto passim mari maria fœcunditate progignuntur, Tarentinam antiquiores prætulerunt, sed eam maximè, quæ illata Lucrinis stagnis concharum esu pinguesceret, ut ait Martialis illo in carmine:

Non omnis laudem pretiumq; Aurata meretur,
Sed cui solus erit Concha Lucrina cibus.

Nonnulli optimorum studiorum laude insignes existimant, inter Auratas Scarum illum antiquis pretiosissimum piscem à piscatoribus uendi, qui dentes humanis similes, & ad ruminandas maris herbas plurimum idoneos habeat, 4
maximeq; squamarum specie Auratis assimiletur: cæterùm ego crediderim eũ non facilè à nobis deprehendi errore uendẽtium, qui similitudine decepti, neque animaduersa saporis nobilitate, in foro piscario eum Auratis & Sargis cõmiscere consueuerint, consensu tamen piscatorum Sapphirus piscis, sic à cyaneo eius gemmæ colore dictus, inter Auratas longè sapidissimus existimatur, qui fortasse Scarus antiquis fuerit. Porrò Auratæ æstate raró, hyeme autem frequentissimè capiuntur, quæ tum laudatiores existunt. Ipsæ inter cæteros

pisces

pisces peculiari quadã dote singularem & saporis simul & salubritatis gratiam obtinent, authore Cornelio Celso, qui eas in ratione ægrorum alendorum leuioris nutrimenti existimauit. Rectè coquũtur si ex præcepto Galeni, eas in craticula subditis mitioribus prunis, oleo & sale, acetoq; consperseris.

De Dentice, Cap. XII.

SYNODANTES pisces Latini Dentices uocant, proximos Auratis & Pagris: habent enim prominulos dentes, & sunt lati, subrubraq; uarietate conspicui: appellatur & hic Synodus à Græcis, alio nomine Charax, id est, uallatus, uti est perpetua extantium dentium serie septus. Athenæus eum in fretis longè optimum esse ait: qui & salubrior est Galeno authore, quum in uniuersum meliores euadant, quos plurima iactatione, inquieta æstuosaq; maria fatigarint. Eum Actius Syncerus Neapolitanus huius ætatis poeta nobilissimus in Lusibus piscatorijs celebrauit, quum dicit:

Dat Rhombos Sinuessa, Dicarchi littore Pagros,
Herculeæ Mulum rupes, Synodontas Amalphis.

Synodum Latini ueteres pariter ac neoterici vulgò Denticẽ appellãt, probãtq; eum in Illyrico Dalmatiæq; littorib. & præsertim ex Salona atq; Tragurio: quæ gentes concisum in frusta, & semicoctũ multo croceo & perspicuo gelu condiunt, cadisq; includunt, ita ut toto fermè anno per omnem Italiam, & Romæ idem aduectitius & recentissimus habeatur. Id genus autem obsonij medici magnoperè detestãtur, & ante alios Petrus Aponensis, qui rudi illa tẽpestate diuini Conciliatoris cognomentum in ea optimarum literarum strage promeruit. Is enim pisces semel coctos asseruatosq;, & præsertim uasorum conclusos operculis mortiferam qualitatem adquirere, mandentesq; certo plerunque ueneno inficere, ratione atq; experimento deprehendisse affirmauit.

De Fragolino, Cap. XIII.

AVRATAS sequuntur Pagri, siue Phagri, Fragolini vulgò dicti, ex his qui assantur piscibus longè probatissimi. Sunt enim & gustui gratiores, & stomacho nequaquam molesti, utpote qui rationabiliter febricitantibus ipsis conceduntur. Nam præter id quod de omnib. saxatilibus Auicẽna intellexit, Pagri nullam uiscosi lentiq; humoris exuberantiam habent, qui etiam ipso iure conceduntur: quoniã quum uniuersum piscium genus frigidæ atq; humidæ sit naturæ, humida frigidaq; cibaria febricitantibus Hippocratis authoritate debentur: ut aliquando mirer quosdam scrupulosiores medicos, quum febris adsit, totum propè piscium genus perdamnare. Phagros Romani & magna pars Tyrrheni littoris accolarum Fragolinos, Veneti Albores: ipsi uerò Ligures, antiquo seruato nomine Pagros appellant, quos, quum sesquipalmi magnitudinem excesserint, in Dẽtices siue Synodontas euadere communis piscatorum consensus existimauit. Ii pisces à colore ipso (apparẽt enim rubro uino madefacti) Erythrinis & Iecinoribus piscibus assimilãtur, authore Pseusippo, ut ait Athenæus. Cuius testimonio manifestè reprehẽduntur, qui Fragolinos Oppiano atq; Aristoteli Erythrinos esse putãt, quos Theodorus Gaza Latinè Rubeculas interpretatus est, quũ ibi Athenæus Phagros Erythrinis cõparet;

qui ſint genere diuerſi, ſed in ipſo colore conueniãt. Verùm id me plurimũ mouet, ut ab illorum opinione recedã, quòd Ariſtoteles & Plinius Erythrinos uel Rubeculas grauidas & plenas ouis, toto anni tẽpore capi aſſerant, quum in eo genere mares non ſint, quod Fragolinis minimè accidit, qui paſsim pluribus anni menſibus ſine ullo ouorũ ueſtigio comeduntur. Illud quoq; acceſſerit ad confirmandam opinionem: nam dum grato palato Fragolinorũ capita exugimus, plerunq; tenuior lapillus dentibus importunus occurrit, ſicuti Ariſtoteles & Plinius eorum capitibus ineſſe teſtantur. Videmus etiam eorũ corda triquetræ figurę ſimilia, ut antiqui prodidère. Pagri ex ſententia Iceſij, Vere ipſo, Archeſtrati autem, exortu Caniculæ ſunt præſtãtiores: nos autem hyeme eos longè ſapidiſsimos experimur, ſed ad ſummam ſaporis gratiam accerſendam, ganeonum iudicio tres omnino conditiones requirere dicuntur, ſcilicet ut ſint & recentes, & frixi, & frigidi, ita tamen ut Arancij mali ſucco ac modico pipere torpeſcentes, eorum pulpæ aliqua ex parte molliantur & excitentur.

De Salpa, Cap. XIIII.

SALPA piſcium pulcherrimus nomen retinet, atq; omnibus notus eſt: ſiquidem eum à ceruice in caudam par argentea latera, aureæ, rubenteſq; lineæ certis diſtinctæ interuallis decentiſsimè depingunt. Vnde Græci antiquiores Mnaſeæ Colophnio, quòd poema uariũ edidiſſet, Salpæ cognomentũ indiderint. Frequens eſt & procerus in Balearico mari, & præſertim ad Ebuſſum inſulã à copioſiſsimis ſalinis celebratã. Appellatur ab aliquib. ut Plinius author eſt, Obſcœnus piſcis, quòd percoqui non poſsit, niſi ferula uerberetur. Solitarius eſt, paritq; bis in anno Luporum more. Natura aſtutus eſſe perhibetur, & longè omnium liquidiſsimè audit: æſtate melior eſt, & è toto mari circa Mitylenem probatiſsimus. Cæterùm ille Archeſtratus, qui in coquinaria à Gręcis alter Theognis uel Heſiodus exiſtimatus eſt, Salpam ſemper malum nobili carmine pronũciauit, ita ut mirùm minimè uideatur, ſi hodie quoque is piſcis, qui tam operosè atque eleganter à natura depingitur, ab optimatium menſis ut inſulſus & mendax ſit repudiatus.

De Sargo, Cap. XV.

IN hæc maria Sargus non ſemper (quanquam ſit notus) enauigat, qui Brunduſij Ennij poetæ teſtimonio, longè optimus habetur, præſertim ſi prægrandis fuerit: Ii nanq; quos Romæ habemus, Auratam magnitudine uix excedũt, quam etiã latitudine, atq; argenteis ſquamis referũt. Sargus Autumno & Vere parit, ut ait Ariſtoteles: is alios minimè comitatur ueluti ſuperbus. Nullã ineſſe gratiam littoralibus, ait Plinius, quod mirum uidetur, quum is maximè circa littora capiatur, ut in libro de hiſtorijs Animalium Aelianus latiſsimè diſſeruit, ubi Sargos ait, caprarum eſſe amatores, eoſq; propterea facilè capi ad earũ umbram, quam in extremis littorum marginibus, & ſcopulis collocatæ aduerſus ſolares radios in æquora proijciant, & extendant, atq; ea ſpecie, amore præ feruidi facilè alliciantur. Optimus eſt Sargus occidente Oryonis ſydere: tum enim uites foliorum honore ſpoliantur. Archeſtratus in Popinalibus delitijs mihi ſępius allegandus, Sargũ ſiccæ carnis eſſe, ac ob id aſſatum eum & calidũ,

caſeo acetoq́; conditum probat, ſicuti uno edicto omnes ſiccioris pulpæ piſces condiendos pręcipit, ſecus ac in præpinguibus & teneris ſit neceſſe, qui ſolo ſale atq; oleo inditis, in craticula ſapidiſsimè percoquuntur.

De Capone, Cap. XVI.

CAPO littoribus noſtris familiaris, Venetis autem ignotus, caput habet ualde magnum, & illud quidem enorme, quadratum, & nullis ueſtitum pulpis. Oculi in eo ſunt admodum rigentes, extenta ſupercilia, os languidum, minuti dentes, ſub mento autem oblongæ ac rubentes pinnæ ad impexæ barbæ ſimilitudinem, cætero autem corporis trunco rotundus eſt, & teres, decreſcitq́; in caudam æqualiter extenuatus quouſque in poſtremam deſinat caudæ pinnam. Porrò uentrem habet ualde candidum, ſed puniceo colore Mulorum ſimilitudine uariegatum, dorſum autē flaueſcere potius quàm rubeſcere uidetur: ſolidis quoque & albicantibus conſtat pulpis, ſed qui tamen aliquanto ſalubrior ſit, quàm ſapidior, eruditioribus præſertim Gnathonibus, qui illum ueluti aridiuſculum aſpernantur. Reperiuntur & alij Capones, qui bifurcata habent roſtra, & dorſum oſſeis ſquamis armatum, quos in genere Caponum piſcatores ipſi mares eſſe teſtantur. Ego autem aliud genus eſſe crediderim. Cęterùm hæc eſt uera & expreſſa Caponis effigies, quæ dum piſcium antiquiora uocabula quæritarem, mihi haud temerè de ſingulis dubitanti, non mediocre negotium fecit, quum modò illum à magnitudine capitis de genere Capitonū alludente recenti nomine eſſe putarem, modò Orphum ab oculorum aſpectu & rubro colore arbitrarer, modò Erythrinus, ſiue Rubecula ob eundem puniceum colorem eſſe uideretur. Nulla enim ex recenti gentium appellatione antiqui nominis coniectura adferebatur, ut pro certo poſſem aliquid eruditorum auribus dignum affirmare, quum Romani eum Caponem, Organum Ligures, Galli uerò Roſcettum, quod eorum lingua rubetum ſonat, appellēt. Sed Capitones de genere Mugilum, uanamq́; ſubinde eius nominis coniecturam eſſe deprehendimus, ſicuti exiſtimare uidetur Volaterranus, qui imprudenter Caponem putauit eſſe Labeonem. Orphum uerò maiorem eſſe piſcem, & unica etiam traiectum ſpina, quòd in cæteris rariſsimè accidit, & deniq; tardiſsimè eum mori: ſi etiam cultro medius diuidatur, authoritate Aeliani, Athenæi & Oppiani clarè conſtat. Erythinum quoq; eſſe non poſſe eadem ratione apparet, qua opinionē de Pagro refellimus: quoniam is toto anno grauidus, ouisq́; pleniſsimus capiatur: Capones autem magna ex parte uentre uacuo reperiãtur. Sed nos eum proculdubio de Mulorum genere eſſe putamus, parati mutare ſententiam, ſi acutiores meliorem attulerint. Siquidē Mulum expreſsiſsimè refert & capitis effigie & ipſo colore puniceo, qui nullis alijs in piſcibus, excepto Capone & Mulo, ea claritate conſpicitur. Aliqui enim barbā habent, qui Barbati & Barbatuli à multis, & præſertim à Cicerone dicuntur. Quod autem duo ſint Mulorum genera, apud Athenæum planè perſpicitur: anteponit enim Barbatum Mulū imberbi Mulo, ſicuti Sophron poeta iudicabat. Plinius quoq; id Muli genus, quod eſt diuerſum ab his, qui gemina barba capillari inſigniuntur Alutariū appellauit, quod Barbatorum cōparatione uiliſsimum erat. Volaterranus in hoc decipi uiſus eſt, quoniã Multos barbatos eos eſſe, quos uulgus Barbos uocat, arbitratur, Barbos ſcilicet uiuaces illos, & ab ouorum

malitia ualde noxios, quum Barbatus sit marinus, hic uerò Barbus sit fluuialis. Ab Ausonio enim Barbus uiuax celebratur: qui etiam eo argumento, quòd tardè moriatur, de genere Mulorum Barbatorum esse non potest, quoniam Muli, teste Plinio, sicuti & nos sępius uidimus, quum primùm extracti retibus fuerint, protinus expirent, contrà uerò Barbi uenales in lacubus ligneis, ut in Ticinensi foro uidere est, diutissimè uiuant. An autem Alutarius is sit qui Capo nuncupatur, in medio relinquemus. Nec etiam absurdum foret, si pro Capone Citharus acciperetur. Natura enim qualitateq; pulparũ, ut Galenus innuit, Citharum à Capone non multum differre deprehendimus.

De Laccia, Cap. XVII.

LACCIA piscis Romanę Academiæ doctissimos quosque diu torsit, quum in Vrbe longè sapidissimus haberetur, nec facilè reperirent quonam Latino uocabulo foret appellandus, adeò ut ipse Pomponius Lętus Grammaticorum eius ætatis princeps, & Platina idem ab ingenij monumentis & diligens historicus, & cocus industrius, temerè Lupum esse crediderint, duplici quidẽ errore, quando & quid Laccia antiquitus fuerit, & quid sit hodie Lupus Tyberinus, penitus ignorasse uideantur. Is piscis subtilissimis contectus est squamis, & argenteo fulgore conspicuus, pulparum uerò mollicie, saporeq; admodum delicatus: uerũ adeò frequentibus ac molestis spinulis prætenerae eius carnes impediuntur, ut in conuiuijs illarum tædio atque periculo summæ suauitatis gratiam amittant. Subeunt Laccię Tyberim amnem ad prima Veris signa, sed tum strigosæ & ab quadam marinæ salsuginis ariditate parum amabiles, quæ mox paucorum dierum mora Tyberinis in undis mirificè pinguescunt, rarò cubitalem superant magnitudinem, & incipiente statim æstate in maria reuertũtur, sic ut reliquo tempore rarissimè appareant. Præter ipsum Tyberim, Arnus, & Vmbro in Etruria, in Campania uerò Lyris & Vulturnus laudatissimas præbent: in Pado quoque reperiuntur haud ignobiles, in Galliæ uerò, Hispaniæq; amnibus longè maximæ, sed quas sapientiores parasiti Tyberinis minimè esse comparandas existiment. Hispani Saualos, Alosas Galli & Campani, Etrusci autem & Veneti uetere seruato nomine Clupeas appellant: apud Aristotelem uerò, Strabonem, Aelianum, Oppianum, & Athenæũ, Thrissas legere est, quam uocem Alosam interpretantur Theodorus Gaza & Georgius Tiphernas, ita ut idem esse & Thrissam & Alosam, & Clupeã, quam modò Romani Lacciam appellant, manifestè appareat, quoniam Ausonij poetæ Alosa, quum dicit: Stridentesq; focis obsonia plebis Alosas, Romanæ Lacciæ, uti Galli referunt, omnino simillima sit, & Clupeæ Venetæ, atque Etruscæ, idem esse cum Laccijs censeantur. Verbanus lacus, qui hodie Maior cognomine nuncupatur, item & ipse Larius Acones pisces ferunt, effigie ac sapore Laccijs persimiles, uerùm magnitudine inferiores, utpote qui ad summum, pedalem mensuram non excedant. Vere quoq; graciles natura à Laccijs plurimum diuersa, Autumno autẽ quàm optimi. Neque illud obstiterit quod à plerisque dicitur, Clupeam eandem & Lacciam esse non posse, quando Clupea tantę (ut uidemus si Laccia, sit) nobilitatis piscis ab antiquis authoribus Latinis parum celebratus esse uideatur: nam unus mihi pro omnibus Ennius poeta amplissimè satisfacit, quum dicit:

Omnibus Clupea præstat, Mustela marina,
Mures sunt Aeni, aspra ostrea plurima Abydi,
Mus Mitylenæ est.

Celebrat etiam alios pisces, sicuti uidere est in his carminibus quos Apuleius in Apologetico citauit. Id uero accidisse crediderim, quoniã Clupeæ toto ferme anno delitescãt, tantumq; perangusto illo adolescẽtis Veris tẽpore, quo solum insigni sapore prestẽt, ueluti in ostentationẽ sui, amnes subeundo capiantur: ita ut acute & perturbate dixerit Hieronymus Vida, idem summus & religiosissimus poeta, quũ in conuiuio de Polyporũ, Luporumq; prudentia disseretur, neminẽ Clupea pisce prudentiorem sibi uideri, quoniam non alias, nisi quum obesus esset, appareret, & quidẽ opportunissimo tempore, quãdo Vere ipso, per sacras leges sublatis carnium obsonijs, ipsi pises in summo honore à Christianis habeantur. Cęterum Laccię uberrime nutriunt, sed glutinosioris alimenti excrementa in stomachis non facile atteruntur, propterea ab ipsis exhalationibus intempestiuam somnolentiam inducere, & sitim augere existimã tur, præsertim si appetentibus ad explenda, uel mediocris etiam gulæ desideria, minime defuerint: quod paucis uel certe ipsis tantum e summo ordine nobilibus, ob eius piscis graue pretium, raritatemq; contingit.

De Trigla, Cap. XVIII.

LATINI ueteres Triglam à Græcis appellatã, Mulũ uocauêre, à colore Mulleorum calciamentorum, quæ languidum ruborem illum, uti in Persici & Cyclamini herbę inuersis folijs cõspicimus, repræsentat, ut referẽte Plinio, Fenestella existimauit. Triglæ uero nomen ob id à Græcis fuisse inditum, quod Dianæ Hecatæ dicaretur, quæ sit triformis, unde Vergilius dixerit: Tria uirginis ora Dianæ. Ea uero de causa Dianæ sacrificari testatur Athenæus, quoniã Trigulæ lepores marinos hominibus mortiferos, uti uenatici canes uenatricis Deę auspicijs persequantur. Eã Romani hodie, quum iam uetus Latinũ nomẽ exoleuerit, Græco uocabulo Triglã appellãt. Fuit is antiquorũ prodigo luxu adeo insignis & pretiosus, ut sæpius argenti puri pondere à priuatis etiã Quiritibus emeretur, quũ pedis lõgitudinem superaret. Galenus ut erat acerrimus Romanæ luxurię castigator, unius eius piscis ęstimatione plerunq; miratus est eorum gulam, qui tantulum piscem tanti emerent: cui eruditi Ganeones subtilissime respondebant, proceriores propterea quæri, quod in maioribus & maiora capita & ampliora iecinora, ad condenda uaria pulmenta inuenirentur, ut ex Horatiano carmine, quum dicit: Mulum in singula quem minuas pulmenta necesse est: & ex Plinij uerbis, qui Alecem ex iecinoribus Mulorum confici affirmat, manifeste deprehenditur. Trigla ter in anno parit, nec amplius, quoniam ter fœtis uermiculus innascatur, qui genitalia semina protinus abrodat. Triglæ admodum sunt uoraces, ita ut humanis etiam cadaueribus uescantur, sicuti in hanc sentẽtiam expressit Oppianus, quũ dicit: Trigla uorat fœdas sordes, & mergit in aluum Omnes illuuies põti. Probãtur Muli qui Barbati sunt duplici crine à mento defluente: altera species ignobilis, Alutarium uocatur: in Thasi insulæ littoribus optimi & maximi euadunt: apud nos hyeme & suburbano in mari capti maxime laudantur. Ligusticis enim & Venetis, itemq; Neapolitanis, non ea saporis gratia, quãquam sæpe multo grandiores in con-

uiuia ueniant. Galenus ait Triglæ carnem neq; pinguem, neque lentam aut uiscosam esse, sed duram atq; friabilem, propterea gratã gustui, & digestione facilem, & in genere alimenti naturæ hominum congruentem & maximè accommodatam: sed eam Plinius neruis inutilem existimauit. Rectè atq; salubriter in craticula coquitur, quæ longè sapidior erit, si petroselini subfrixa folia, atq; insullatus cum oleo Arãcinis succus accesserint. Apitius nepotum ille maximus gurges in Garo, quod ex salitorum Scombrorum muria liquamen erat, uiuos Mulos, ut sapidiores euaderent, enecauit. Triglam si in uino suffocetur, idq; à uiro protinus ebibatur, impediendæ Veneris potestatem habere Athenæus, authoritate Therpsiclis affirmauit, qui & mulieres quoque, si illud itidem potauerint, minimè posse concipere, testatus est.

De Sauro, Trachuro, & Scombro, Cap. XIX.

SAVRVS antiquum nomẽ adhuc retinet, nec pedis magnitudinem excedit, minores fricturæ nomine ueniũt. Sunt enim multa piscium genera, quę ob paruitatẽ in sartagine frixiora feruenti oleo coquũtur, sicut Triglæ, Bocæ, Scõbri, Trachuri, Pagri & Auratæ, & propterea uno nomine frictura vulgariter appellantur. Sauros Galenus à carnium mediocritate laudauit, quòd mediæ sint inter duras & molliores. Athenæus quoque eos sapidissimos esse ait, si exemptis branchijs, caseo, sale, atque origano condiantur. Trachina & ipsa etiam in frictur ę numerum refertur, quàm Trachurũ, ut Oppiano uidetur, esse putamus, uel, ut Athenęo placet, Trachidam eò argumento, quòd infestam & propè letalem spinam in ceruicibus habeat, & binas item alias, & quidem acutissimas ab auribus prominentes. Hic piscis oblongus est ac tenuis & falcatus in uentrem, cuius latera lineæ frequentes & obliquæ uergẽtes ad cœruleũ colorem pulcherrimè describunt. Scombrum uerò nostri lacertum appellant, qui à Venetis antiquo nomine nuncupatur. Cornelius quoque Celsus eum pro Lacerto accipere uidetur, ex quo salsamentum fieri ait: interpres etiam Galeni antiquior & ineptior, Saurum Lacertum appellauit. Scombri & oblongi & exiles sunt, & sulphureo colore conspicui, præsertim quum in aquis uagantur, Vere pinguescunt, quo tempore Venetijs inter delicatiora obsonia reputantur. Romę autem ab innata quadã siccitate sunt ignobiles. Icesius minores Scombros maioribus anteponit, quos bono succo nutrire uẽtres autumat, sed qui tamen difficilis secretionis habeantur.

De Asello & Merula, Cap. XX.

ASELLVM proprio nomine Ligures, Romani uerò Scarmũ & Murlezum appellant: capite est admodum lato, pressoq;, ut in Gobijs uidemus, ore autem maximè denticulato ac patulo, cætero corpore est lõgior, squamæ sunt admodum minutę, & uergentes ad cinereum colorem, sicuti in Asellis quadrupedibus conspicimus. Marcus enim Varro Merulam, Turdum, Vmbramq;, & Asellum à colore quem referant, ait appellari. Aselli dum æstiui soles feruescunt, ardoris impatiẽtia latitãt, sicuti Glaucus & Aurata, nec quoties pariant, inueniri potuit, ut ait Aristoteles. Eorũ genera sunt duo, maiores Banchi, qui in bipedalem magnitudinem augentur, & minores quod Callarias uocant.

Plinius

Plinius eos in capite lapillum gerere, & delicatos eſſe commemorat. Galenus uerò cum ſaxatilibus æqualem habere carnem atteſtatur. Sunt & Turdi ſubuiridi colore & frequentibus guttis, ut in uolucribus uidemus, uariegati atque inſignes, itémque Merulæ Cocyges à Græcis appellatæ, quæ ab medio quodam colore inter atrum atque ſubfuluum, Merulis auibus aſsimilantur. Sed in aquatilium genere, non eam habent ſaporis nobilitatem quam Turdis & Merulis auibus ueteres attribuêre. Siquidem & Turdi admodum inſulſi ſunt, & Merulæ, ut Athenæus ait, difficillimè concoquuntur, in quarum conditura Archeſtratus ille poeta paraſitus, cum caſeo, maloq; granato, & ſale atq; oleo Silphium admiſcuit, quod (ut Hermolao placet) Laſerpitij genus eſt: ſed quomodo is ſuccus concretus & odoratus in conditura piſcium cõuenire poſſit, alij uiderint. Sunt & Phycides Tincarum uiridium colorem atque effigiem referentes (Fici vulgò nuncupantur) qui procerum patinas rarò implent, quũ inſipidiſsimi ſint.

De Boca, Cap. XXI.

DORSVM picturatũ habet Boca, piſcis notus omnib. fermè littoribus, atq; uno tãtùm nomine nuncupatus: dicta eſt à uoce, propterea quòd ſacer ſit Mercurio eloquentiæ Deo, ſicuti Citharus Apollini, Dianę Trigla, Libero patri Cittullus, Veneri Apua, & ipſi Neptuno Pompilus nauigiorum comes. Ariſtophanes autem Byzantius, ut Athenæo placet, Bocam potius Boopam appellari debuiſſe aſſerit: quoniam is piſcis prægrandes habeat oculos, ſicuti & Silurum potius Sciurum à crebro motu caudę nuncuparit. Cæterùm Bocę fœcundiſsimæ ſunt, & gregatim capiuntur, ſolentq; eas piſcatores in oleo acetoq; ſemicoctas cum myrto plurima in caniſtris aſſeruare, quę poſtmodum in remotiſsimas à mari Italiæ regiones mercimonij cauſa deferuntur.

De Gobijs, Cap. XXII.

GOBIO uel Gobius Venetijs frequẽs, & pingui teneritudine delicatus, rariſsimè Romæ conſpicitur: pro ſquamis uariam cutẽ habet & ualde lubricam. Candicãtes nigris, Plinio authore, pręferuntur, uirides autẽ ſunt peſsimi: ſemipedalem longitudinẽ non excedunt, circa littora parere ſolẽt, ut Ariſtoteli placet, & uadoſo potius in mari ac ęſtuarijs quàm in alto, uel ubi fluctus ſcopulis alliduntur, quanquã & eius generis maiores ſint ex ſaxatili genere, quos & Caulinas & Cothonas, ut Hermolao uidetur, Siculi uocauêre. Iceſius Gobios multi eſſe ſucci & facilis digeſtionis aſſerit, ſed qui & exiguũ ſimul & malũ prębeant nutrimentum. Galenus autem dicit Gobiones circa arenoſa littora & ſaxoſa promõtoria eſſe, & guſtui gratos, & in prima & ſecunda digeſtione facilè ſecerni: contrà uerò qui oſtijs fluuiorum & ſtagnis caperentur, ualde deteſtabiles. Sunt etiam fluuiales Gobij ex Verbano præſertim & Lario lacubus, qui inſignes habentur, ipſis iecinoribus palato gratiſsimis, eos & Strincios & Botetriſsias Inſubres appellant. In Etruria quoque in Marina præſertim amniculo, qui ex Apennini iugis apud Pratum oppidum in Arnum euoluitur, Iočtij ſunt piſciculi delicatiores, Gobionibus admodum ſimiles, qui quum effigiem illam mirè exprimant, etiam in tantula carne eundem ſaporem habent.

De Scorpęna, Cap. XXIII.

SCORPIONEM & Scorpęnã Ariſtoteles diuerſos facere uidetur: idẽ & putauit Athenæus qui citat Ariſtotelẽ: unde Hermolaus quoq; ipſe in Corollario nihil pro certo affirmarit. Cęterùm Scorpænã fermè omnes uernaculo nomine nuncupamus piſcẽ ſubrufum, uariũq;, & multis armatus aculeis, cute autẽ minimè ſquamea, ſed Gobionis ſimilitudine lubrica, qui, ut ait Ambroſius, uenenato aculeo ſit truculentus. Eorum unũ genus pelagium eſt, alterũ paluſtre, illi rufeſcunt, ij uerò nigricãt, qui & minus probantur: pariunt bis in anno. In uniuerſum Iceſij authoritate uentrem leniunt, facilè ſecernuntur, & quum multo abundent ſucco, multum etiam alimenti præbent. Epicharmus in nuptijs Hebes, Scorpænam ait eſſe ſolitarium, & marina ueſci alga: minores qui ſemipedalem longitudinem non excedunt, maioribus anteponuntur iudicio Archeſtrati, qui fuit obſoniorum ſtructor longè ſubtiliſsimus.

De Perca, & Melanuro, Cap. XXIIII.

PERCAS pelagias Romæ rarò uidemus: aſsimilantur hæ Mænis ipſis, quæ hodie Menulæ dicũtur: nam ſubfuruas habẽt zonas, quibus ipſæ toto corpore ſquamoſæ & argenteæ diſtinguũtur, in dorſo impares eminent aculei tenui inter ſe membrana cõiuncti. Propterea Athenæus Percã ait ſpinis eſſe coronatam, & inſigni uarietate conſpicuã. Pulchræ quidem ſunt, grataq; guſtui, & languẽtibus ſalubres. Plinius inter ſaxatiles eas cõnumerat, & ex ijs qui hyeme capiantur. Dux & magiſter Percarum eſt Melanurus, qui alio nomine Oculata dicitur à magnitudine oculi, ut Theodorus interpretatur: uarius eſt, & frequentibus guttis conſperſus, non abſimilis Auratę. Verùm natura, ut Aeliano placet, piſcium & timidiſsimus idem & cautiſsimus: nam ex ipſa maris trãquillitate piſcatorum aduentum præcognoſcit, mergitq; ſe profundiſsimo mari: ſi uerò in ſummas aquas fuerit enatandum, agit circa ſcopulos, & mira ſagacitate in ſpumis latitat, quas infracti ſcopulis fluctus continuè excitant. Cornelius Celſus Oculatam in genere alimenti maximè probauit. Numenius uerò Melanuros uim obſtruendarũ uenarum habere, & multo Sargis ſapore & ſucco inferiores eſſe teſtatur, ita ut Melanurus alius ab Oculata eſſe uideatur, ſicuti ſenſiſſe Plinium putamus, qui Oculatam Soleis atq; Paſſeribus admiſcuit, & in eodem uerſu utriuſq; mẽtionem ſeparatim facit, quod & diligẽtiſsimus Hermolaus animaduertit, quũ in hoc piſce aut Plinium aut Theodorũ errauiſſe arbitraretur. Id uerò Gazam mouere potuit, quoniã Ariſtoteles, quum de Scaro mentionem faceret, ſemper Melanurum illi coniunxit, idemq; feciſſe Celſus uidetur: nam Scarum ſemper cum Oculata nominauit, quaſi quum Melanurum dictionem Gręcam reformidaret, Oculatam pro Melanuro ſubſtituerit, qui piſcis à Latinis, uti hodie Venetijs & alibi Ochialis propter oculorũ magnitudinem nũcupatur, non autẽ is à nigricie caudæ, ſicuti Grçci appellabãt, Nigricaude uel Atricilla uocetur: ſed Melanurus, qui Neapoli frequens eſt, Romæ rarò conſpicitur, ſic ut nemini mirum eſſe debeat, ſi eius ueram effigiem inſtituto picturæ opere minimè referemus. Cæterùm Percę, ut ait Ariſtoteles, in fluuijs & lacubus etiam uerſantur. Iiq; hodie in Gallia ſummam obtinent dignitatem alendis febricitantibus: appellantq; eos Galli antiquo nomine Percas, quos

celebrauit

celebrauit Ausonius Gallus, quum dixit in Mosella:

Nec te delitias mensarum Perca silebo,
Amnigenas inter pisces dignande marinis,
Solus puniceis facilis contendere Mulis.

In Italia autem laudatissimi sunt è Lario lacu, quos Nouocomenses ipsi Percècos appellant. Eos fama est fuisse aduectitios & inquilinos, tralatis scilicet seminibus è lacu Eupyli, qui Lambrum emittunt amnem, ut meminit Benedictus Iouius frater in Larianis lusibus ad Minitium Caluum:

Eupylis exigua sum Percecus ortus in unda,
Meq́ peregrinum Larius inde tulit.

Sed Eupylis multo minores, quàm Larius Percecos producit, quoniã magna ex parte uel influentium aquarũ defectu, uel occultiore aliquo hiatu terræ haustus, multis antè annis exaruit: abijtq; in tres minores lacus, aquis in depressiora loca subsidentibus, qui à Licino foro uetere oppido, quod & ipsum interijt, plebis Licini Lacus hodie nuncupantur. In Lario Percæ ad pedalem crescunt magnitudinem, croceas pinnas habent, & maturescentibus præsertim uuis ab ipso pingui & præteneris interaneis magnopere commendantur. Medici ferè omnes Galliæ Cisalpinæ Percas ægris robustioribus apponere non dubitant, præsertim si crudarum uuarum succo, quem agrestam uocant, diligentissimè condiantur. Diocles quoque medicus in lib. de Salubribus, ut Athenæo placet, Percam è saxatilibus, qui meliores habeant carnes, ut sunt Turdi, Merulæ, Gobij, & Phycides, plurimum laudauit.

De Rhombo & Passere, Cap. XXV.

HACTENVS de squamosis piscibus, nunc de planis agemus, qui spinas habent, & de his quæ ab Aristotele Selache, quod spinis careant, & à Plinio cartilaginata appellantur. In his principatum obtinet Rhombus, sic dictus fortasse ab instrumento Thessalico magico, quod Rhombum, id est, rotundum sit: est enim hic piscis longè latissimus, & ouali figura rotundior, quæ forma in instruendis aciebus Rhombi nomine à scriptoribus rei militaris appellatur, unde Martialis:

Quamuis lata gerat patella Rhombum,
Rhombus latior est tamen patella.

Psittæ nomine uocarunt, ita ut Psitta genus ad Rhombum, Passerem & Soleã esse uideatur. Aristoteles nanq; Rhõbi nusquam meminit, Sed Passeres, sic hodie nuncupati à Romanis, magnitudine saporeq;, & figura etiam oblongiore à Rhombis differunt, in eo quoq; dissimiles, quoniã dexter situs sit resupinus Rhombis, læuus autem, Passeribus & Soleis. Cæterùm Rhombus inter planos obtinet principatum, quem nobilis quidam aulæ procerum circa popinales delitias ingeniosissimus aquatilem Phasianum appellare solebat, nõ absurda quidem comparatione, sicuti & Soleas Externis, Lãpetras Coturnicibus, Lupos altilibus Capis, Sturiones uerò Pauonibus adæquauit, ut ex Coquinarijs cõmentarijs, quę eius coci nomine circũferuntur, licet intueri. Capitur Rhõbus toto anno, & circa pinguiorem arenam & arenulas, extremasq; littorum margines natat transuersus, conuoluitq; se certis flexibus strabonum more, ut situs oculorum uitium emendet, suáque potius latitudine, quàm pinnarum

adminiculo fretus, curſum dirigit, omnium profectò & tēporum & locorum piſcis, idemq́ & delicatus & ſalubris, hyeme tamē quàm æſtate, & in Italia Rauennæ, quàm alibi multo laudatior. Rhōborum pulpæ ſunt candidę, & preſſo quodam humore ſucculentæ, quæ affatim & ſalubriter alunt, modò in prima concoctione, quæ celebratur in ſtomacho, ſuperfluæ earum partes perfectiſsimè ſecernuntur. Galenus in alendis conualeſcentibus Rhōbos in iure ſimplici cum modico ſale, porris & anetho intritis percoquebat. Sanis autē & his qui ſenſum appetentis ſtomachi deiectum habuiſſent, toſtos in crate acetoq́ conſperſos, uel frixos cum garo ac uino apponere conſueuit.

De Solea, Cap. XXVI.

SEQVITVR Solea, Lingulaca à M. Varrone nuncupata, ab Athenæo autē Bugloſſus, quòd bouinæ linguæ effigiem imitetur, hodie in lautioribus cō uiuijs, in ſumma etiam cæterorum piſcium copia, magnam obtinet claritatem. Probatur hyeme & frixa Arancij mali ſucco, pipereq́ cōſperſa. Maxima in Belgicis Oceani littoribus reperitur, noſtrates pedalē longitudinem rarò ſuperāt. Soleæ maleficos piſces defugiunt, eaq́ ſolùm frequentant loca, in quæ belluæ minimè accedunt, ita ut argumento ſint maleficos non eſſe, ubi ipſæ, ueluti ſolutæ metu uagentur. Solea leuiſsimum adgenerat nutrimentum in ſtomacho, facilè concoquitur, & in ſecundis uenarum & iecinoris digeſtionibus, nulla fermè noxiarum ſuperfluitatum excrementa relinquit.

De Citula, ſiue ſancti Petri piſce, Cap. XXVII.

PISCEM è genere planorum, ſimilitudine Iſtricis ipſa dorſi acie aculeatum, capite extento, ore latiſsimo, cuius maxillæ ex perſpicua membrana conſtare uidentur, Romani Citulam & S. Petri piſcem, uti & Veneti, Ligures autem Zaphirum appellant. Sunt in eius utroque latere gemini orbes, qui bina imprimentium digitorum ueſtigia eſſe uidentur. Sapore pretio, & effigie, ſi caput abſcideris, ipſi Rhombo perſimilis. Quo autem nomine Latini ueteres, Græciq́ illum appellarint, pro conſtanti affirmare non auſim. Quibuſdam uidetur eſſe Chalcis de genere Rhomborum apud Columellam. Putaui ego illū eſſe Acanthiam, qui ſit de genere Galeorum apud Athenæum, ſic dictus, quòd ſpinoſus ſit: & certè ſi Galei prolem ore ſuſcipiunt, ut eā ab inuadentium piſciū iniuria tueantur, hic piſcis ante omnes, os habet aptiſsimum, ut ea pietatis in filios officia commodiſsimè præſtentur. Acanthiæ certè Oppiano è genere Galeorum ſunt & aculeati, ſed is fortaſſe eſt qui à nobis Columbus piſcis appellatur, infimæ plebis obſonium, qui oblongus eſt, & cartilaginatus, ſpinamq́ habet in dorſo. Aliquando quoque dubitaui, an eſſet Citharus, quem ſæpius Galenus cum Rhombo nominauit, aſſerens Rhombos ſapidiores & meliores eſſe Citharis, ut manifeſtè in menſa utriuſque collatione deprehendimus. Inuenio tamen apud Athenæum piſcem Citulum dicari Libero patri, ſicuti Citharum Apollini, Triglam Hecati, Apuam Veneri, qui, ſi nominis coniecturā ſequemur, profectò Citula Romanus, antiquorū Grecorū Citulus eſſe poterit.

De Tor-

De Torpedine, Cap. XXVIII.

TORPEDO effigie, poteſtateq; admirabilis, ſic dicitur, quoniam capta in retibus, priuſquam attingatur, piſcatorũ manus ſtupefaciat: propterea Veneti eam Sgramfum, quod eſt, torpeſcentis membri affectus, appellant. Romani autem modò Battipotam, modò Foteriſiam, frequẽtius uerò Oculatellã dicunt, quòd in eius dorſo quinq; ocellos ſubnigros ipſa natura depinxerit. Subrufa eſt prona parte, ſupina autem candida. Auerroes, cæteriq; philoſophi, Torpedinem ea qualitate manus adficere, qua ferrum à magnete lapide pertrahatur, exiſtimarunt. At Galenus Torpedinem inter piſces, quibus ueſcimur, in tertio de Alimentis nominauit, quanquam ea hodie à plebe, egentiſsimisq; hominibus tantùm comedatur.

De Raia & alijs, Cap. XXIX.

SVNT etiã è planis Raię & Squatinę: & item cõpoſiti ex utriſq; Rhinobates ſiue Squatraię, quę fœdæ ſunt aſpectu, atq; eſu admodum iucundæ, quum inter ſordidæ plebis atq; paſtorũ obſonia cenſeantur. Raiarum fel aurib. ſanandis aptiſsimum eſt. Squatinarum autem ſcabrum tegumentum, ad poliẽdum ebur propter aſperitatem ab artificibus expetitur. Ex eo cultellorum & falcatorum enſium uaginas Turcæ Barbariq; maritimi admodum pulchras conficere ſolent, quas Sagrinas appellant. Eſt etiam huius generis Paſtinaca, idẽ & Turtur & Trigon, quæ à mortifero aculeo letalis ab Oppiano dicitur, quo Vlyſſes ictus à filio perierit, hodie Bruccus dicta. Hæc ſimul & Raia, & ſuprà citati piſces è Muſtelino ſunt genere, prolem tamen ore (ut alij ſolent eius ſpeciei) ſuſcipere nequeunt propter caudarum aſperitatem.

De Congro, Cap. XXX.

POST planos piſces oblongi & lubrici citabuntur, & ante alios Cõger ſubalbus & teres, qui ingentis anguillæ ſpeciem præ ſe fert. Hunc Iceſius ait omnibus gregalibus piſcibus duriorem, & ob raritatem carniũ tenuiſsimè nutrire, neq; laudabilẽ prębere ſuccum, eum tamen ſtomacho minimè eſſe moleſtum aut incommodum. Idq; Galenus affirmat, qui dicit Cõgros parum afferre nutrimenti, cæterùm facillimè eorum carnes digeri atq; ſecerni, ita ut mirer Albertum Magnum, quum dicit, Congros natiua quadam proprietate leprã morbum generare. Congros in immenſam creſcere magnitudinẽ apud Sicyonem Peloponneſiam, Eudoxus tradit, ita ut currũ lõgitudine ſuperent. Porrò Archeſtratus in lib. de Legibus uentris, Congros in Italia longè optimos iudicauit, quod mihi nequaquam ueriſimile uidetur. Quando neq; hodie aulę principes, neque ipſi cupediuoræ Congrum magnifaciant, ſoliq; Hiſpani Romanę urbis inquilini, eum exoticis quibuſdam pultarijs incoctum, in ſummo honore habere uideantur.

De Muræna, Cap. XXXI.

MVRAENAE toto mari ſunt frequentes, ſed in Siculo longè maximæ atq; optimę: eas Columella Flutas appellauit, quòd ſummis in aquis fluitent,

unde accidat, ut in nimijs ſolis ardorib. exuſta cute ſeſe mergere nequeāt, amiſſaq; fluxuoſi motus agilitate capiātur. Sunt maculoſæ, & in collo aliquot ſtellas ad formam Septentrionis habere dicuntur, quæ ſtatim morientibus euaneſcant. Mira in ijs ſagaticas: nam ut ſe captas ſenſere, hamum auidiſsimè deuorant, dentibusq; lineam protinus abrodunt & effugiunt. Veteres Romanos à uiuacitate potius quàm à ſaporis præcellentia Murænas æſtimaſſe crediderim, quoniam magna eorum copia in quotidianos uſus uiuarijs incluſa diutiſsimè poterat aſſeruari, cæteris piſcibus, aut tædio carceris, aut uitio piſcinarum facilè pereuntibus. Conſtat enim C. Hircium ex uiuarijs epulo triumphali, dictatori Cæſari ſex millia Murænarum mutuò appendiſſe. Manſueſcunt, & de manu hominis eſcam accipiunt. Craſſus ille, cognomento Diues, Murænam altilem adamauit, adeò ut Fato functam aliquādo luxerit & tumulo indiderit. Extat quoque illud ſalſiſsimum Craſsi dictum, quum L. Domitio admodum ridenti atq; admiranti, quòd mortuam defleret Murænam, reſpondit: Mirum quidem eſſe quòd extinctum piſcem lachrymis proſequeretur, ſed multo quidem admirabilius, quòd ipſe tres à ſe elatas uxores nō lugeret. Extulerat enim tres uxores Domitius quas quidem ueneno, ut dotibus potiretur, ſuſtuliſſe dicebatur. Aliquæ etiam fœminæ in delitijs Murænas habuerunt, ut Antonia Druſi, quæ uni ſpectatæ manſuetudinis gemmatas in aures addidit. Veſcuntur humanis carnibus Murænæ, idq; Vedij Pollionis crudelitate uerum eſſe apparuit, qui damnatos ſeruos in uiuarium demergebat, ut illi nō extemplò, ſed paulatim in minutiſsimas diſcerpti partes, Murænarum morſibus abſumerentur. Ferunt Murænas in cauda uitalē ſpiritum habere, propterea illas aliquanto celerius interimi, ſi in extrema caudæ parte potius quàm in capite fuſtibus uerberentur. Sanga Romanus poeta lepidus, quum Pyrgorum in littore piſcaremur, docuit Murænas ab antiquis exoſſari, Plauti authoritate, ut eorum carnes nullis impeditæ ſpinis gratiores redderentur, ingentemq; ille Murænā binis bacillis utraq; manu comprehenſis, mediam aſtringendo detergendoq; rectè & feſtiuè admodum exoſſauit. Serpentes cum murænis coire, quas ſibilo è profundis in littus euocent, Diuus Ambroſius & complures antiquorum tradunt, cui opinioni Athenæus refragatur authoritate Andreæ, qui de his quæ falsò creduntur, librum edidit. Murænæ toto anno pariunt, eſtq; de genere earum Murus robuſtior & grādior, & unicolor, Larici ligno colore perſimilis, ut Ariſtoteli uidetur, quem Myrinum Plinius appellat. Inuenitur & Muræna fluuialis multo minor, quæ unam tantùm habet ſpinam, & Gallarias, authoritate Dorionis, ab Athenæo nuncupatur, ita ut arbitrer hanc minorem Murænam intelligere uoluiſſe Athenæum pro ea quæ à nobis Lampetra uocitetur, ſed de hoc mox diffusè diſſerimus. Murænarum carnes non minus nutriunt quàm Anguillarum atq; Cōgrorum, ut Iceſius aſſerit. Verùm de duritie quadam innata, & ex tenaci humore laborioſiſsimè digerūtur, ſed à lactibus eximijs ſummam commendationem accipiunt, quibus Heliogabalum Cæſarem inſana prodigalitate, quum in mediterraneis eſſet, aulam omnem ac ruſticos pauiſſe Lampridius in Hiſtorijs affirmauit.

De Acu, Cap. XXXII.

EST & Acus de Longorum genere, quæ à Græcis Raphis & Belone dicitur: roſtrum habet gruis uel ciconiæ ſimilitudine, colorē uerò argēteum; ſpina in

ſpinam autem, ut Albertus Magnus annotauit, uiridis coloris. Hic piſcis ſerò parit,& per æſtatem tantùm, utero dehiſcente tempore partus,ſecus ac cęteris accidat piſcibus, qui ipſo vuluæ foramine pariunt, ut Ariſtoteles exiſtimauit, Humidum bonumq; ſuccum eius carnes præbent, ſed tardiuſculè cæterorum comparatione concoquuntur.

De Anguilla, Cap. XXXIII.

ANGVILLAS, quòd anguibus aſsimilentur M. Varro dictas exiſtimauit. Naſcuntur ex limo, algarumq; putredine imis in lacubus & fluuijs nullo coitu, nullaq; fœtura, ut ait Ariſtoteles. Viuacisſimæ ſunt: quoniam branchias habent peranguſtas, unde etiam fit, ut turbidas aquas difficillimè tollerent. Reperiuutur & in mari anguillæ ſecundis amnibus deuectæ ſecus ac alijs contingat piſcibus, qui è mari ſubire amnes, allecti aquarum dulcedine conſueuerũt: & eæ quidem multo ſapidiores uidẽtur, quàm ipſę prognatæ nutritæq; in amnibus, ueluti quæ uiſcoſum lentumq; illum habitum penitus exuant, ſalſarum aquarum egregio temperamento. Neque tamen credendum eſt, in alto ac profundo mari dulciorem deeſſe humorem, quo maximè piſces foueantur: nam ut ait Ariſtoteles, in profundis uadis aquarum dulcium uenæ perennes exiſtũt, & in ipſa marinarum aquarũ mole portio certa dulcioris humoris reperitur, quum maris aqua, neque ſimplex ſit, neq; ut aliqui uoluerunt, purum elementum: argumento ſunt uaſa cerea è nauigijs in altum demiſſa, quæ paucarum horarũ ſpatio dulci aqua per meatus ſubtiliſsimos recepta manifeſtiſſimè replentur, ut Democritus ante Ariſtotelẽ, & utroq; poſterior Theophraſtus, experimento deprehenderunt. Cæterùm Anguillæ in mari rariſsimè, frequenter uerò in omnib. fermè fluuijs ac lacubus Italiæ capiuntur. Sed ingẽtes & ſapidiſsimas alit Vulſinenſis lacus, quarum incredibilem multitudinem capi uidimus in excipulis ad egreſſum Martæ amnis fabricatis, cùm Alexander Farneſius Cardinalis Leonem Pontificem in eam amœniſſ. regionem ab Vrbe uenandi ſtudio ſecedentem, regali magnificentia ſuſcepiſſet. Anguillas omni ex loco, omniq; tempore, & præſertim circa ſolſtitium, medici deteſtãtur. Stomachis enim & renibus ſunt inimicæ, ſed præcipuum ſentiunt nocumentum ex earum obſonijs, qui arenulas mingere cõſueuerunt: quoniam illę Anguillari glutino in calculos cogi & aſtringi uideantur. Podagra quoque laborantibus manifeſtè officiunt: nec ullis morbis medentur, ſic ut iniquè feciſſe natura uideatur, quæ tam ſuauem refutandis expuendiſq; piſcibus ſaporem indiderit. Cæterùm Anguillas minimè noxias, ſed quæ propter exilitatem commodè uerubus torreri non poſsint, gignit Serius Cremonenſis agri fluuiolus, qui in Abduam excurrit: Vidę poetæ paternas poſſeſsiones interluit.

De Lampetra, Cap. XXXIIII.

SVBEVNT Arnum & Tyberim Lampetræ, atq; in ijs præſertim amnibus ad generoſum habitum adoleſcunt. Anguillis, uel paruis potius Murænis aſſimilantur: ſunt enim lubricæ, & nigricantes, tendẽte tamen earum parte prona ad cæruleum colorem, utroq; autem gutturis latere foraminulentę, ſi quidẽ ſeptenis paribus fiſtulis mirabili ordine à natura fabricatis acceptam aquam

emittunt, quum branchijs omnino careant, nec cubitalem excedere magnitu-
dinem soleant. Omnibus autem Galliæ Cisalpinæ riuulis, ipsisq; præsertim
Ticini atque Abduæ emissarijs multæ reperiuntur preciosæ admodum, quan-
quam minimi digiti crassitudinem rariss. superent. Sed Romanis præcipua no
bilitas à magnitudine atq; sapore adeò, ut denis sæpe aureis singulæ ueniant,
ipso præsertim Vere quo maximè probantur: Neque enim dum ieiunamus &
frugi esse debemus, luxuria castigatur. Retulit Platina in Culinarijs suis duo-
rum Cardinalium luxu, superbiaq; certantium obsonatores centum aliquan-
do argenteorum nummûm uni Lampetræ pretium fecisse, quum in foro pisca-
rio ambitiosius contendendo eum piscem pertinaci atque insana profusione 1
ueluti ad hastam licitarentur. Lampetram neoterici quasi à lambendis petris
dictam putant, quam Græcis Galeum, Latinis uerò Mustelam fuisse arbitra-
mur. Eam Ennius poeta pretiosissimis æqualem facit, & Plinius bonitate Sca-
ro proximam esse testatur, & Ambrosius gustu suauem uocat. Porrò Galeo-
rum plura sunt genera, ut apud Aristotelem, Athenæum, Oppianumq;, ac
ipsum præsertim Galenum licet intueri: discitur enim piscis Mustela, è Galeis
siue ex Mustelino genere, ut Theodorus Gaza passim interpretatur, prolem
ore suscipere & rursus emittere, ut illam à piscium maleficorum iniuria tuea-
tur. Cæterùm Galenus in tertio libro de Alimentis, Philotinũ deprehẽdit, qui
Galeum in ordine duras habentium carnes collocabat, quum Galaxias sit is 2
piscis è genere Galeorum, quem Latini Mustelam appellant. Piscis (inquit) &
mollis & apud Romanos gloriosus. Neque enim ille uetus pariter ac ineptus
Galeni interpres unquam pro Galeo Mustelam interpretatus est: quod profe-
ctò Theodorus fecisset, qui semper nominibus Græcis, pro uirili, Latina uoca-
bula reddere consueuit. Icesius pariter in libro de Materia, è genere Galeorum
meliores & molliores Asterias appellauit, ita ut fortasse putãdum sit eum pro
Asteria Lampetram innuere uoluisse, quòd Lampetra quasi à maculis, quan-
quam obscurioribus stellata sit, & mollis & delicata. Inuenio quoque nonnul-
los authores, qui paruam Murænam pro Lampetra intelligãt, ut ait Athenæus
authoritate Dorionis, apud quem fluuialis Muræna, quæ marina sit, multo 3
minor, Gallaria nuncupatur, quoniam unàm tantùm habeat spinam. Potest
quoque accidere, ut idem sit Gallaria Athenæi, & gloriosus Galaxius Galeni,
unius literæ commutatione: neque mirum esse debet, quum utriusque authoris
Græci codices corruptissimi habeantur. Albertus quoque Magnus Lampe-
tram Murænam paruam appellauit, qui quanquã sit ineptus & barbarus, mi-
nimè tamen hoc somniasse putandus est, quum ex ueterum potius commenta-
rijs laboriosissimè excerptis, quàm à multo nobilioris ingenij acumine, tot tan
taq; uolumina condiderit. Id uerò me plurimũ mouet, ut Galeum pretiosum a-
pud Græcos, nostratem hanc Lampetrã non esse existimẽ: quoniam is Galeus,
qui Rhodi lõgè omnium delicatissimus est, ab Archestrato in eo libro, quo ui
tam quærit Sardanapali, dicitur esse Accipenser, qui Plinio authore, rarus in- 4
uentu est, & squamis ad os uersis conspicuus. Verùm ipsi Græci infinita qua-
dam nominum congerie Accipenserem appellant, ut qui modò Ellopem, mo
dò Callionymum, modò Anthiam & pulchrum, & Callichthyn, quem etiam
ministri cum tibijs coronati conuiuijs inferrent, eum uocare consueuerint. Sed
ut arbitrer Lampetram antiquitus fuisse Mustelam, Plinius apertissimè sua-
det, quum dicit in lacu Rhætiæ Brigantino Mustelam esse marinæ æmulam.
Nanque

Nanque is hodie lacus Hydrius eſt in Tridentinorum finibus, qui proculdubio antiquitus fuit Brigantinus. Is emittit amnem Cliſium, in quo Lampetræ reperiuntur. Sebinus quoq; Brixianorum lacus Brigantino proximus, qui hodie Hiſeius dicitur, & Ollium amnem emittit, ut plures eius accolæ mihi affirmarunt, aliquando Lampetras Etruſcis ac Rom. ſpecie, ſaporeq; ſimillimas præbuit. Neque propterea dixit Plinius marinę æmulã, quia captam mari intelligere uelit: marinæ enim ſunt, quę in Arno ac Tyberi capiuntur. Diſtant ſi quidem longo interuallo pulparum bonitate ab his, quas in alto mari expiſcari aliquando ſolemus, quam ſubaridæ agreſteſq; ſint, ita ut exprimere Plinius uoluerit Muſtelas, quę nunquam mare attigerint, ſapore commendendas dulcibus in aquis reperiri. Neque enim Plinium Lampetras paruas (quas Lampetroccias uocamus) marinis comparare uoluiſſe credendum eſt: nã ſi de paruis intellexiſſet, ad Brigantinum ignobilem lacum, & ipſis abſtruſum in alpibus minimè fuiſſet recurrendum, quum uti ſuprà diximus, tota Gallia Ciſalpina in omnibus fluuiolis ac riuis copioſiſsimè reperiantur. Vnde uerò Lampetram antiqui Muſtelam appellarint, incertum eſt. Verùm ego piſcem illum è longitudine candoreq; uentris & à tergoris ſuperioris ſubluteo colore (uti in quadrupedibus Muſtelis uidemus) dictum eſſe putauerim. Fuère aliqui eruditiores noſtræ tempeſtatis, qui Lampetram apud Plinium Lumbricum fuiſſe crederent, quum in IX. dicat: Duæ omnino ſunt pinnæ longis piſcibus, ut Lũbricis & Anguillis & Congris, quum & Lampetrę ſint longæ, & Lumbricis terreſtribus certo confinio aſsimilentur. Verùm locum ibi deprauatum eſſe oſtẽdit Alcyonius uir doctus, quum Plinius eadem uerba ab Ariſtotele mutuatus eſſe manifeſtè deprehendatur. Verba autem Ariſtotelis, hæc ſunt ex libro primo de Nat. Anim. Quę autem in genere natantium pedibus carent, hæc aut pinnis natant, ut piſces: quorum alij quaternas, binas ſcilicet parte prona & binas ſupina habent, ut Aurata, ut Lupus: Alij binas tantùm, qui longi leueſq; ſunt, ut Anguillæ & Congri: aut nullas omnino habent, ut Murena, ſed ita mari utuntur, ut terra ſerpentes, modoq; ſimili repunt in humore. Theodorus autem uertit leuibus loco lubricis, quandoquidem in mendoſam Plinij lectionem incidit, nec ſatis animaduertit, quo pacto caſtigare eam oporteret, ut librariorum uitio lubricis dictionem in Lumbricis addito, m, litera abijſſe omnino credendum ſit. Porrò Hermolaus in Caſtigationibus Plinianis nihil de Lumbricis diſſeruit, in Corollario autem apud Dioſcoridem, quum Muſtelam nominaret, quis nam is piſcis apud neotericos eſſet, cautiſsimè ſubticuit, utpote qui de eo piſce nihil certi adhuc ſe comperiſſe meminerat. Quòd ſi hęc nonnullis qui inexplorata ueritate moroſi ſunt, minimè ſatisfecerint, operæpretium erit, eos Lumbrici nomen pro piſce apud aliquem idoneum authorem reperire, quod certè nunquam (niſi fallimur) uel accuratiſsima lectione poterit inueniri. At ſi Lumbricus erit piſcis, qui Lampetra dicitur, teſtimonio alicuius fortaſſe authoris ab inferis reuocati: quis demum contrà piſcis erit ipſa Muſtela ab antiquis tantopere celebrata? quum nullus ferè ſit piſcis palato gratiſsimus, cui ſuum nomen, idemq; antiquum non reddiderimus? Lampetræ igitur ſuauiſsimæ ſunt, Martio tamen Aprilíq; menſibus tantùm: nam incipiente æſtate dureſcit neruus interior, qui illis pro ſpina eſt. Cæterùm delicatiore quodam condimento multo maiorem, quàm ab ipſis pulpis, nobilitatem accipiunt. Necare enim eã in Cretico uino ſolent, eiq; myriſtica nuce os claudere,

& phoramina illa totidem caryophyllis adimplere, in teganoq́; conuolutã in
spiras additis auellanis tritis, medulla panis, oleo, uino Cretico, aromatibusq́;
ad temperatiores prunas certis momentis sedulò excoquere: quo condimen-
to Leo X. in minore Fortuna, ioci causa, ut conuiuium exhilararet, Marianũ
cucullatum, salsum & ridiculum hominem, memorabili impostura decepit.
Namq; funem instar Lampetræ incoctum, multoq́; illo iurulento immersum
grandi in patina apposuit, ut notam omnibus eius edacitatem, gulamq́; elude-
ret, qui iam magna pultarij parte absumpta Pseudolampetram aggressus, diu,
multumq́; cum ea maxillis ac dentibus inhærente colluctatus, cachinnum cũ-
ctis tollentibus facetissimè respondit: Vtinam sic mihi sæpius illudatis: nam in 1
hoc condimento non modò funes, sed & ipsas catenas, quibus insani uobis si-
miles uinciuntur, & cum uoluptate quidem absumerem. Cæterùm Lampe-
trarum pulpis nullam uim noxiam inesse putandum est, quando & duritie &
lento pingui prorsus expoliatæ sint, quibus maximè conditionibus pisces sto-
machis incommodi esse consueuerunt. Dicere autem eas ab occultiore potesta-
te neruis aduersari, impudentis uel scrupulosioris ingenij esse putamus.

De Trocta, Cap. XXXV.

QVID Trocta Romanis antiquitus fuerit, haud facilè adfirmauerim, quã- 2
do unus tantùm è Latinis Ambrosius, solus ex omnibus Græcis autho-
ribus Aelianus Troctam nominarint, & id quidem admirãdum est, quum o-
mnium qui dulcibus in aquis generentur, hic piscis longè nobilissimus æqua-
li cunctarum gẽtium iudicio censeatur. Quam ob rem in hoc præsertim pisce
condonandum mihi ab eruditis ueniam existimo, si ingenuè me nondum eius
uocabulum à ueteribus usurpatum reperisse, minimè inficiabor. Sed Troctam
de Luporũ genere fuisse apud antiquos crediderim, uti Moderatus Columel-
la curiosos atque oculatos lectores admonere uidetur, quum Lupos sine ma-
cula piscinis includi posse asseueret, aliosq́; esse Lupos dicat, qui uarij appellẽ-
tur: ita ut Luporum alij sint sine macula, id est, marini, qui & amnes subeãt, a- 3
lij Varij, hoc est, fluuiatiles, qui dulcibus in aquis generentur, unde & Troctã
ab aliquibus inglorijs authoribus Varium maiorem appellari uidemus: certè
Trocta admodum uaria est, nigricãtibus maculis totum dorsum speciosè pin-
gentibus. Spigolæ uerò unicolores potius atq; argenteæ esse uidentur, quan-
quam & ipse ueluti ad retinendam Lupini generis appellationem, subatris pũ-
ctis sed minoribus & languidioribus, quàm in Troctis uideamus, notatæ sint.
Neq; enim arbitrãdum est Columellam per Lupos traductos in Ciminum &
Sabatinũ lacus, uel Troctas uel Lucios intelligere uoluisse, superuacaneum e-
nim fuisset Troctas indidisse, quarum maximã copiam suburbani amnes omni
tempore suggererẽt, ut ex Reatinis, Sublaqueanisq́;, & ex ipso Tyburtino A- 4
niene quotidie uidemus. Præterea neq; Romanæ luxuriæ, neq; admirabilioris
magnificentiæ fuisset, alios quàm pelagios pisces illis in lacubus disseminasse:
de marinis enim Columella loquebatur & quidem nobilissimis, ut de Auratis
& Murænis simul cum Lupis ipsis clarè testatus est, quos tamen omnes defi-
ciente paulatim eorum sobole, quum diu naturæ repugnare nequiuerint, pe-
nitus interijsse manifestè uidemus. Improbũq; illud factũ & dictũ luxuriosum
Philippi apud Cassinatem hospitem certissimam facit coniecturam, Lupum
illum,

illum, quem ut insulsissimi saporis expuerat, & probro subinde fuerat persecutus, fuisse Troctam, quum in illis amnibus Casinatium, Soranorum & Arpinatium Troctæ plurimæ capiantur, quas Spigolis Tyberinis pinguioribus minimè cõparandas Philippus esse iudicabat. Plinius quoque aliquos Lupos à candore lanatos appellari dicit, & illud quidem propriè & eruditè: nam Lupos, id est, Troctas in uniuersum, secundum carnes rubescere, Spigolas autem pelagias pariter ac Tyberinas insigni candore albicare clariss. constat. Cæterùm Troctam non facilè in Tyberi reperies, sicuti nec ipsam Spigolam alijs in amnibus Vrbi propinquis. Cur autem solus Aelianus Troctam ampliore elogió celebrarit, propterea id accidisse putauerim, quòd ille fuerit Prænestinus, apud quos Troctæ plurimæ subiectis in amnibus capiantur. Qua etiam ratione D. Ambrosium Antistitem Mediolan. ueluti Larianis Troctis assuetum, vulgato etiam tum eius piscis nomini inseruire uoluisse credendum est. Sed Aelianus Troctam è genere marinorum facit, quæ cum Delphinis pugnare soleat, sic ut id nomen nostrati Troctæ parum conuenire uideatur: eam dicit continuos habere dentes, & eos quidem incisorios, captamq́ hamo non retrocedere, sed continuè sequi, ut eo deglutito, inferiusq́ demisso, lineam abrodat, propterea à piscatoribus hamos ansæ longioris fuisse excogitatos: saltatrixq́ ab eo Trocta appellatur, quod & nos hodie uidemus: nã eas aduersus amnes, uel è præruptissimis etiam cautibus decidentes incredibili impetu subire compertum est: ab Nare enim fluuio in Velinum lacum, qui hodie Pedelucus est, stupenda uelócitate, uolucrum modo ascendere creduntur, qui lacus ab altissimò mõtis uertice certis pimò coarctatus angustijs, & mox tota aquarum mole præcipitatus, nec subiectis quidem cautibus madefactis, ueluti è cœlo in ipsum profluentem Narem effunditur. Nos quoque Troctas maiores audiuimus in Larij ripis lasciuo excursu extremas harenæ margines aliquandò ad iusti passus longitudinem prosulcasse. Troctæ longè omnium maximæ centum aliquando librarum pondo Lario in lacu progignuntur, & quidem omni alio, uel marino etiam pisce sapidiores, præsertim si Maio mense & in Bresciæ torrentis ostio capiantur: mortuæ paucissimis horis summam illam saporis gratiam amittunt, quoniam ob pinguem illam teneritudinem quàm ocyssime computrescunt. Coquuntur concisæ in tabellas in lebetibus lapideijs tornò fabricatis, simplici in aqua, multo sale indito, aliaq́ subinde accersita condimẽta penitus aspernantur. Musco enim quodam pruinæ simili paulò post spõte emisso, rubentes pulpæ protinus efflorescunt, ita ut quum refrixerint multo gratiores esse uideantur. Morus tamen nobilis parasitus, qui plurima eruditioraq́ in obsonijs pulmenta commentus est, Troctam cubitalem in præpinguis capi iure coquendam esse censebat, sicuti & Phasianum adultum, quem mediocriter in eodem capi iure elixare, ac demum ad auertendam ariditatem, quæ torrendo conciperetur omenti hœdini reticulo multis caryophyllorum clauis confixo inuolutum ad mitiorem prunarum uaporem in ueru percoquere consueuit. Soleo ego plerunque mirari quosdam, qui ut sapientiores uideantur, Benacinum Carpionem, Padanum Silurum, & è mari plures pisces Larianis Troctis uel anteponere uel exæquare solent, & item Soranæ Troctę in eo genere principatum attribuant, quum maximè fallantur. Neque enim obsoniorum adeò imperitus esse possum, ut temerè de hac re iudicare sim existimandus, quum ex supero inferòque mari, cunctisq́ propè totius Italiæ la-

cubus ac fluminibus nobiliſsimos piſces lautis ſæpe conuiuijs guſtauerim, & certa comparatione cõtulerim: ſed fortaſſe euenit, ut homines ea maximè probent eſculenta, quibus à pueritia inſueuerint, uti nobili accidit Florentino, qui quum in cœna Leonis pontificis pelagij piſces uarij diſcumbentium iudicio certatim atquè impensè laudarentur, Extollatis, ut lubet, inquit, conuiuæ marinos piſces, ego certè Thraſymeniam Tincam conditam leucophago, his ueſtris Triglis, Spigolis & Rhombis prætulero: quod dictum ut inſulſum, omnibus præ riſu lachrymas excuſsit, & in prouerbium paulò poſt receptũ, authori, qui antea ignotus erat, maximam attulit claritatem. Aſſueuerat enim ille Tincæ piſci, qui à Florentinis mediterraneis hominibus, ſacri præſertim ieiunij tempore, in ſummo honore habetur. Troctæ pinguiores, ut ſunt Larianæ, multo ſucco replere corpora, genitalemq; humorem copioſè ſuggerere dicuntur, uti Auicenna de omnibus propè piſcibus, ſi recentes & calidi comedantur, uno edicto pronunciauit: ægris tamen euidentiſsimè nocent, utpote quæ tardè laborioſeq; in ſtomachis atterantur & ſecernantur. At fluuiales, quæ aduerſo torrentium impetu fatigantur, atque occurrentibus in æqualium uadorum petris illiſæ caſtigatiora flumina & aridiuſculas carnes oſtendunt, medici blandiores ægris apponere commendareq; non dubitant. Quas etiam in paralyticorum cibarijs magnopere laudauit ille Plinius qui elegantem librum de Morbis atque remedijs conſcripſit. Fuit is proculdubio Plinio Naturalis hiſtoriæ ſcriptore, & Plinio Cecilio poſterior, uocatusq; eſt Plinius Valerianus medicus, cuius marmoreum ſepulchrum Comi, ubi Pliniorum familia floruit, in templo D. Probini, aquæ ſacræ labello ſuppoſitum, & pulcherrimis inciſum characteribus conſpicitur.

De Tinca, Cap. XXXVI.

TINCAE nomen habet nouitium, & recens eſſe uidetur, quando eius piſcis priſci authores, uno excepto Auſon. nuſquam meminerint. Eſt tamen celebratus apud Ciceronem quidam facetus orator Placentinus, cognomine Tinca, qui fortaſſe ab eo piſce ſit cognominatus: quemadmodum Florentiæ Laurentius Medices ſenior, uti erat perurbanus, cuidam celebris familiæ ciui ſe domi Tincam ingentem exquiſita arte coctam falsò iactanti, Tincæ cognomen, quod illi poſtea fuit æternum, indiderit. Ego uerò paluſtres hos piſces nullo in pretio apud antiquos fuiſſe putauerim, & propterea nullis literarum monumentis fuiſſe celebratos: neq; plurimum mouet Auſonius, qui Tincas & Lucios ignobiliſsimis piſcib. adnumerauit: neq; eum uetera uocabula ſubditis nouitijs nominibus ſupprimere credendũ eſt, quum cæteri omnes piſces ab eo ueteri nomine celebrentur. Sed Tinca quãquam plebeius ſit piſcis (ſicuti tota fermè Italia cõſpicimus, & Auſonij quoque teſtimonio notum eſt, quum dicit: Virides vulgi ſolatia Tincas) aliquando tamen in Lautorum menſas uenit, & ex his Romæ præſertim Marſicana è Fucino lacu, qui nunc Celanus dicitur. Fucinianæ labrum inferius tritũ habẽt, quod eius generis inditiũ eſt, quippe quæ plurimũ ſaxoſo eius in lacus uado uolutẽtur. Fert & laudatiſsimas paruus ille lacus quartodecimo ab Vrbe lapide apud Bacanam ſyluã, quam Antonino Pio notam Itinerario eſſe uidemus, quibus non modò plebeij, ſed ſplendidi etiam optimates ſæpius ueſcantur. Nobilis illæ inter aulæ proceres longè

omnium

omnium ætatis noſtrę popinalis lautitiæ ſtudioſiſsimus, qui ducenta millia aureorum nummûm in uentrẽ ſe condidiſſe aliquando gloriatus eſt, Tincas Bacanianas Autumno captas, allio laridoq; contritis, additisq; odoratis oleribus & multo aromate, in teganis ad uaporẽ tepidioris furni feliciſsimè percoquebat. Fert & Tincas, quanquam minores, ſapore tamen minimè contemnendo ſanctæ Praxedis lacus, in Latij, Sabinorũq; finib. qui Regillus antiquitus fuit, illa nobili deuictis Samnitibus pugna celebratus: ſed eæ cũ Rais & Squatinis, cæteris'ꝗ uiliſsimis piſcib. apud Pantheon ignobili foro infimis hominibus uenundantur. Platina in Culinarijs ſuis fœdè lapſus eſt, quum Tincas antiquitus Mænas fuiſſe exiſtimauit, quæ ſine controuerſia ij ſunt piſces, qui Mænulæ uel Giruli à Venetis appellantur, piſces inquam, noti & Ciceronis authoritate uiliſsimi. Cæterùm medici Tincis omnibus uim quandam ineſſe ad progignẽdam febrem exiſtimant, quoniam maximè in cœnoſis degant, putreſcentis limi ſordibus ueſcantur. Verùm eas ſciſſas per dorſi longitudinem, pedumq; & manuum plãtis applicatas ardentis febris feruoribus plurimum aduerſari quidam putarunt ex ſecta Iudæorum: qui quanquam ſordidè admodum, & ridentibus alijs talia experirentur, aliquãdo tamen ipſis æſtuantibus exoptata blandimenta feliciter attuliſſe comperti ſunt.

De Lucio, Cap. XXXVII.

LVCIVS nuſquam mari, ubique autem ſtagnis ac lacubus cum Tincis frequentiſsimè reperitur, qua una ratione, qui eum antiquitus Lupum fuiſſe exiſtimant, manifeſtè conuincuntur. Auſonius quoq; Lucium nominat cum Tinca, quem tamen ab olido nidore ingratum menſis eſſe teſtatur: propterea nõ facilè dijudicauerim, an is ſit qui Lucius ab Italis, à Gallis uerò Broſcettus dicitur, quoniam is inter gratos ſecundæ claſsis ipſorum fluuialium, in Gallia Belgica cenſeatur. Venditant eum omni tempore uiuum innatantemq; ligneis uiuarijs Britanni, uentremq; illis ultro cultris aperiunt ad oſtentandam eorum pinguedinem, quæ plagis exprimitur, ut emptores aſpectu ſuminis alliciãtur, neque refutati propterea commoriuntur: coeunt enim protinus patentia uulnera Tincarum contactu, quòd earum tenaci illuuie, ueluti glutinoſo medicamine ſolidentur. Thraſymenus lacus eius generis lõgè maximos atq; optimos nutrit: Bicubitalem enim aliquando exceſſere magnitudinem: poſt Thraſymenos è Cimino, qui hodie Ruſsiloni lacus dicitur (fuit is uicus antiquitus rus Syllanum) laudatiores Romæ habentur: nam quos præbet Bracciani lacus, qui olim Sabatinus fuit, & ſapore & magnitudine ſunt inferiores. Effigiem Lucij, quum de Lupo ageretur, ad amuſsim expreſsimus, ita ut poſteri, quem ego piſcem Lucium nominarim minimè ſunt dubitaturi. Hic piſcis admodum ſalubris omnium medicorum iudicio putatur. Cęterùm ab inſulſa quadam pulparum ſiccitate nullã unquam in optimatum menſis laudẽ uel commendationẽ adeptus eſt, ita ut ij noſtrates Lucij cum Gallis dignitate minimè ſint cõparandi, & te, tuosq; conuiuas lautiſsimè Ludouice aliquando deceperint, quũ obſonatores Galli incomperto adhuc agreſti illorum ſapore dum emerẽt, ſola proceritatis ſpecie ducerentur: non enim maximi ſemper optimi: Nã in omni genere piſcium media ætas, quæ nondum ſummam magnitudinẽ impleuit, Cornelij Celſi authoritate commendatur. Cæterùm Luciorum mandibulæ toſtæ, in

pulueremq; redactæ, ſi aurei pondere cum uino ſumantur, in ueſica & renibus calculos frangere conſueuerunt.

De Rayna ſiue Barbaro, Cap. XXXVIII.

ALVNT ſinguli Italiæ Lacus ſuos piſces, qui cæteris eius generis anteferuntur: Nam ſicut in arboribus, cæteriſq; animalibus uidemus, ſic & in ipſis aquatilibus contingit, ut aliæ atque aliæ aquæ diuerſis piſcibus occultiore quadam proprietate, uel à terreno uel à paſtione, uel ab ipſo demum cœlo prorſus accerſita, non ſolùm ad maiorem corporis amplitudinem, ſed etiam ad 1
ipſam ſaporis felicitatem plurimum conferre uideantur. Probare enim ficus è Liguria ſolemus, Etruſca perſica, Veſuuianas vuas, à Clodia foſſa, Padiq; oſtijs melopepones, Appulas amygdalas, Campana malogranata, Picentes oliuas, è Romano agro poma Apia, è Sabino pyra Muſtea, Tarentinas iuglandes, caſtaneas è Clauenna Rhæticis proxima alpibus, Nurſina & ex Vmbria expetita Romæ terræ tubera: ex animantibus item boues Inſubres, iuuencas Romanas, Tuſcos apros, uitulas Surentinas, hœdos Vmbros, arietes Piſtorienſes, gallinas Patauinas, & columbas Interamnenſes à magnitudine ſaporeq; plurimum commendamus. Larius igitur lacus ob longitudinem à Vergilio maximus nuncupatus, piſces longè omnium maximos gignit, Troctas centum aliquando librarum pondere & Burbaros ducentarum: ſed Burbari 2
illi ingentes uideri potius liquidis ac perſpicuis in undis, quàm capi retibus poſſunt, quum ea impotenti impetu plerunque dilacerent: ſubeũt ſolſtitij diebus umbroſos ſpecus, in rupibus Licinianis, quæ ſunt in aduerſa Larij ripa contra inſulam, Euripumq; illum gemmeum à Cecilio Plinio celebratum. Eos induſtrius quidam ſacerdos ſagittis arcubaliſta emiſsis, quum in profundo quieſcentes, fuſcinis atque tridentibus attingi non poſſent, vulnerare conabatur: neque tamen ſagittæ longo alligatæ funiculo, niſi auerſis officiebant, quum illa ſquamarum ſerie thoracati, earum ictus facilè repellerent. Sunt & in Mantuano lacu, qui reſtagnante Mincio amne latè diffunditur. Burbari piſces ſapore lõgè optimi: nam Lariani ſola magnitudine ſunt inſignes, rarò ij 3
bipedalem excedere magnitudinem ſolent, lati ſunt, & ingentium ſubauratarum ſquamarum ſpecie, rotundoq; item labro auri colorem referẽte, pinniſq; pariter ſub croceis longè pulcherrimi. Eos Veneti Raynas, ipſi uerò Ticinenſes, Placentiniq;, & cæteri Padi accolæ Carpenas appellant. Humidiores carnes, ſed tamen innoxias habent, quòd non tenaci ſed aqueo potius humore abundent. Lingua autem maximè ualere dicuntur: nã & ſapore præſtat, & uim habet augendæ Veneris, ſicuti in Tincarum & Anatum linguis experimur.

De Polypo, Sepia & Loligine, Cap. XXXIX.

4

PRAETER ſquamoſos piſces, & lubricos, & planos eſt etiam mollium genus, ſic dictum, quoniã ad tactũ molle ſentiatur, ut ſunt Polypi, Loligines, & Sepię. Conſtat Polypus corpore admodum paruo, & in medio ad emittendam aquam, fiſtulato, quod pluribus brachijs & crinibus inſtruitur, quib. uti eſt omnium fermè piſcium ſolertiſsimus, obuia quæq; comprehendit, ligat, inuoluit, atq; flagellat, & ipſis denique oſtreis ſiliceo tegumẽto egregiè munitis

inſidias

insidias molitur. Sunt enim ei cirri multiplices, plurima in extremis prætenturis acceptabula, itemq́; frequentes pediculi, manusq́; plicatiles, quibus admiranda facinora dum uenatur, edere consueuit: hiantibus siquidem conchis lapillum imponit, ut illis sese occludẽdi facultatem eripiat. Leonem qui ualidam Muræenam chelarum forcipibus necant, cirris inuoluit, complexumq́; sugendo paulatim interimit. Rapit quoque frequenter in terram, oleas ascendit, & in ædificia aliquãdo transgreditur. Refert Plinius Polypum insignis audaciæ ac magnitudinis in cetarijs Hispaniæ irrepsisse noctu ad lacus ligneos, salsamentaq́; exedere & populari consueuisse: ad extremum præfectis fures obseruantibus, latratu canum deprehensum, expugnatumq́; totius familiæ concursu, atq; ægrè telis ac tridentibus fuisse cõfectum: cuius cadauer ad insignis pugnæ memoriam Trebius Niger proconsuli L. Lucullo transmiserit. Polypus ultra bimatum non uiuit, quem expirare in Venere aliqui prodiderunt. Caput eorum cartilagine constat, quæ celeriter durescit immaturamq́; illis senectam adferre solet. Carnes Polyporum Galeni atq; Athenæi authoritate duræ sunt & difficillimè digestionis. Si uerò concoquantur, non omnino malum, aut exiguum præbent alimentum. Salsugine autem sua Veneris pruritum excitant, & mirificè languidis atq; defessis auxiliantur. Afferuntur Venetias ex Illyrici Dalmatiæq́; ora sale inueterati, quorum acceptabula & extremitates cirrorum à senibus ad parandam sobolem expetuntur. Alexis poeta in Pamphila, ut citat Athenæus, quum incitamenta Veneris percenseret, Bulbum & Polypum ante alia celebrauit. Plinius quoque ille, qui de Medicis librum conscripsit, ut alibi diximus, Polypos cardiacis conferre arbitratus est. Sepia autem & Loligo in hoc differunt, quòd Sepia latior, Loligo longior est, hęc rubrum, illa nigrum in timore liquorem emittit. Inest Loligini, quæ hodie Calamarium dicitur, gladiolus perspicuus & crystallo persimilis. Sepia autem corpulentiã quandam habet inter spinam & os mediam naturæ fungosæ atq; friabilis. Vtrique sicuti & in Polypo, sunt barbæ, crines, & acceptabula, sed aliquãto breuiora, quibus escam corripiunt: corporum uerò aluei aliquanto capaciores quàm in Polypis, quod natura prolixioribus postea capillamentis in Polypo compensauit. Sepia, ut ait Athenæus in lib. de Medicina piscium, elixa uentri confert, succus eius subtilem reddit sanguinẽ & mouet crisim per hemorrhoidas. Oua autem eius authore Plinio urinam cient, renumq́; pituitas detrahũt. In uniuersum uerò mollium genus difficillimè in stomachis concoquitur, si autem coquatur, plenius nutrimentum præbet. Qua ratione, ut ait Athenæus, Venerem excitare dicuntur: nam in concoctionibus primis, quum maximè laboratur, uentum plurimum generari necesse est, quo maximè uirilia inflentur, & Venus ipsa uel in senibus quanquam languidula, reuiuiscat. Nobis uerò manifestè compertum est, quæcunq; obsonia ex mollibus piscibus conficiantur, in stomachis studiosorum, aut ociosorum ægerrimè coqui, multaq́; subinde incommoda corporibus adferri, quoniam primæ digestionis uitia in hepatis, ac uenarum secretionibus rectè corrigi non possunt, neque sanguis ad idoneam puritatem elaborari, qua maximè de causa, Clementi Põtifici Max. ex huiusmodi mollibus obsonia appetenti, in mensa palàm totum eorum genus sæpissimè sim detestatus.

De Locusta, Cap. XL.

MOLLIBVS piscibus Crustacei succedunt, inter quos Locusta primã obtinet dignitatem, eam Aristoteli Carabum esse Theodorus existimauit. Oppianus autem pro Carabo Leonem intelligit, qui Theodoro sit Cãmarus: nam ubi prælium Carabi cum Murena multis uersibus elegãtissimè describit, Carabus denticulato forcipe instructus exprimitur, quo Murænæ collum corripiat. Cæterùm sine cõtrouersia Locusta est Carabus, quanquã, ut ait Hermolaus, hæc nomina confunduntur: pedibus siquidẽ eius forcipes desunt, ut ait Aristoteles. Præterea Locustam corpore rubenti, aculeato & aspero esse constat, ut ex Suetonio etiam apparet, qui Tiberium ait, apud Capreas piscatori faciem Locusta perfricari iussisse, quòd ille à tergo insulæ per deuia atq; aspera, ut Locustã dudum captam offerret, ad se improuisus erepsisset. Contrà uerò Cammarus, qui Leo apud Pliniũ est, uti etiam nunc vulgari appellatione nuncupamus, & forcipes habet pro manib. & corpore leui atq; cæruleo, multisq; subnigris maculis splendet, ut Arist. pulcherrimè depinxit, & nos quotidie uidemus, quem etiã Astaculum appellauit Oppianus. Nos uerò Cammaros appellamus eos qui dulcibus in aquis reperiuntur, ad paruorum Leonum effigiem, qui dum coquũtur, protinus rubescunt. Eorum maxima habetur copia in Gallia Cisalpina, quæ est frequentibus amniculis irrigua. Sunt & Maiæ grãdiores, rotundiore uentre, gressu in terra segnes, in aquis autem uelocissimæ, Veneti Granceuolas uocant, quarum rotũdioribus testis specula includere ad elegantiam solent. Sunt & Paguri, Granciporri hodie nuncupati. Itẽ Squillæ sine chelis, quas Oppianus cæteriq; omnes Græci Carides appellant: eas mirũ in modum commendauit Apitius in Coquinario opere, Romani hodie Cãmerugias & Pernocias uocant. Sunt qui arbitrentur Squillas esse id Cancrorum genus, quod Gibbum Aristoteles appellauit, uidentur enim Squillæ admodũ Gibbæ. Quid autem sit Squilla Iuuenali illo in carmine:

Aspice quàm longo distendat pectore lancem,

Quæ fertur domino Squilla: Ego putauerim illum Crustaceorũ nomina confudisse, uoluisseq; intelligere pro Squilla Locustam aut Leonem, qui dominus apponi consueuerint: per Cammaros autem illos scilicet paruos designasse, quòd Locustarum ingentium collatione, ueluti minutuli, ignobilioribus conuiuis apponerentur. In uniuersum Crustacea ab ouis commẽdatiora sunt, pinguescereq; solent plenilunijs: authore autem Galeno totum Crustatorum genus ob carnium duriciem difficillimè concoquitur, salsumq; humorem adgenerat, sed aliquanto mitiorem ipsis Testaceis, de quibus mox agemus. Cancri autem & Cancelli, qui caudã non habent, latoq; corpore & ualde rotundo constat, quiq; colore rufescunt, & appensi lineis apud sacellum Hadriani pontis uenundantur, hecticis & lenta febre laborantibus mirè conueniunt, quoniam humidum, leueq; & ualde refrigerans alimentum præbent, præsertim si (uti præcipit Galenus) in aqua prædecocti magna ex parte salsuginem innatam exuerint. Hunc Cancrũ, qui Græcè est Carcinus, si in patella uratur uiuus, sub canis syderis ortum, quum Sol in leonem Zodiaci transit, à rabido cane commorsis mirificè auxiliari Aeschirion Galeni præceptor affirmauit. Pelops autẽ Medicus Galeno etiam familiaris id à qualitate materiæ ipsius Cancri, non autem à peculiari eius naturæ proprietate prouenire testatur, cuius opinionem

nemo

nemo ferè ſecutus eſt. Sed Dioſcorides intellexit de fluuialib. Cãcris, quos cũ uite alba cõcrematos admiſta gẽtiana, rabie affectis proſperè ſemper exhibuit.

De Oſtreis & alijs teſtaceis, Cap. XLI.

E Teſtaceorum genere Romæ in pretio habẽtur Oſtrea, Pectunculi, & Tellinæ. Oſtrea mittit Corſica, ſed rarò & ſæpe olida, quoniam aduerſis tempeſtatibus impedita nauigatione, uel prædonibus Mauris intercluſo mari, nõ facilè ad Vrbem perueniunt. Ea uerò quæ à Piſauri littore paucis antè annis afferebantur, extincta ueluti earum progenie penitus abierunt. Oſtrea, quũ Romana res magnitudinis atq; luxuriæ faſtigium teneret, à Brunduſio in Lucrinum lacum tranſportabantur, quæ ueluti ea peregrinatione gaudentes, adoptatæq; dulcibus aquis mirificè pingueſcebant. Fuereq; Oſtrea adeò in honore ipſis gulæ procerib. ut in remotiſsimas à mari regiones ligneis lacub. apportarentur. Refert Athenæus Apitium nobilẽ paraſitum, qui ſuperioris nomine appellari promeruit, uaſis ſumma induſtria fabricatis, ad Traianum in mediterraneis Meſopotamiæ contra Parthos bellũ gerentem, recentiſsima Oſtrea detuliſſe. Ea maximè probantur, quæ magnarum nauiũ carinis adhærent, & ab urinatoribus de manu colligũtur. In uniuerſum Oſtrea, ut ait Galenus ſalſum humorem aggenerant, & præſertim ſi cruda comedantur, propterea tentiginem in ſalacibus plurimum adaugent: aluũ quoq; ea mouere Plinius Med. aſſerit, qui & eorum teſtas ambuſtas diſſentericis prodeſſe, fixã uerò eorum carnem à ueneno comeſti leporis marini liberare teſtatur. Plinij autem naturalis hiſtorię ſcriptoris authoritate, ſtomachũ reficiunt faſtidijs medentur, molliunt leniter aluum, teneſmonicos iuuant. & Veneris pruritum ſalſugine ſua uehementer incitant, coſtaq; in teſtis diſtillationibus proſunt. Affinem Oſtreis pectines ſiue Pectunculi, quos hodie Cõchulas dicimus, naturam atq; ſaporẽ habent. Sunt ſtriatę & ſubrubra carne, & in Tarentino ſinu laudatiſsimæ, & grãdiores quæ auriti Pectines Latinè appellantur. unde Horatius dixit: Pectinib. patulis iactat ſe molle Tarentum. Sequuntur paruæ illę Conchulæ à ueteribus Latinis Mytili, à Romanis autẽ hodie Græco nomine Telinæ nuncupatæ, quæ bellariorum locum obtinent. ſunt enim gratæ guſtui, uerùm arenulis ſcatent, & propterea calculoſis officiunt. Cinerem earum caſum pilorum in palpebris prohibere Oribaſius affirmat. Sunt & alia Concharũ genera propè infinita, ut Purpuræ, Buccinæ, Aures, Digiti, Vngues, Patellæ, Cochleæ, quæ conſultò prætcrimus, quoniam ſuburbano in mari rariſsimè capiantur. Eſt & Echinus non ingratus principũ menſis ſpinoſo caſtaneæ tegumento aſsimilatus, cuius generis eſt Echinometra, multo maior, in alto tantũ mari progenitus, quẽ Ariſtoteles urinæ deſtillationibus efficaciſsimè mederi teſtatus eſt. Venit & inter menſarũ delitias Vertibula ſiue Vrtica, callus quidã ad magnitudinẽ iuglãdis, cuius durities, ut ait Ariſtoteles, media eſt inter teſtã & coriũ, colore ſubpallido & rubenti: ea frequẽter in Pyrgorũ littore ad Centũcellas reperitur, quam ſicuti palato iucundiſsimã, ita & ſtomachis minimè inſalubrem eſſe cõijcimus.

De Salſamentis, Cap. XLII.

SVPEREST ut de Salſamẽtis pauca attingamus, quæ adeò in honore apud Græcos fuerunt, ut Athenięſeş Chereptrili, qui ſalſamenta uẽditabat, filios

in gratiã patrisciuitate donarint. Romani quoq; huic rei plurimum studuerũt, ut ex Plinio licet cõiectari. Harũ ante alia in pretio fuit liquamen ex salitorum Scombrorũ muria confectum, quod in uarios culinæ usus ueniebat: cõficiebatur optimum in Africa quod sociorũ quoq; appellatum est, sed id hodie penitus exoleuit. Maxima nunc gratia est Cephalorum ouis, quę geminis folliculis circumcisa parte suminis recentibus Cephalis eximuntur, quæ Græco nomine passim, Oa Taricha, id est, salita nuncupantur. Secundum Oa Taricha eminet Cauiariũ, quod ex Sturionum ouis in Ponto conficitur, ita ut salita in massam ingentem cogãtur, & cadis includantur, cruda ea comedimus, uel in panis crustulis ad prunas ustulatis: modico enim in igne Salsamenta in uniuersum indigent, authoritate Athenæi, qui quũ de celeriter factis loquimur, in prouerbiũ cessisse ait, Citius quàm salsamenta coquantur, sicut de Asparagis Latini usurparunt. Cauiaria Iulio secundo Pont. Max. mirificè placuerunt, quòd deiectũ ei ciborum gustum sæpius alleuassent, & siti, uinisq; pariter, ut in senibus accidit, mirè lenocinari uiderentur. Sunt etiam in summa commendatione ex ipsis Sturionum pulpis Spinalia, sic vulgò nuncupata, quæ laricinis lignis assimilãtur. Laudãt & Moronẽ, ignoti nobis piscis prædura frusta, ualdeq; rubentia, quæ Meotidis paludis accolæ mercimonij causa transmittunt. Ea prius exedi commodè non possunt, nisi aquæ calidæ perfusione molliantur. Sardæ, quæ Plinio Theodoroq; sunt Trichiæ, itemq; quæ uocantur vulgò Aleces aliquanto Sardis minores, in magno usu alendis familijs existunt. Sunt ij digitales pisciculi, qui longè optimi in Liguria saliuntur: eas aliqui Apuas esse uoluerunt, quæ authoritate omnium ferè antiquorum ex limo fiunt, & in magna copia apud Pyreum Athenarum portũ capiuntur. Ex Cymbricis quoque littoribus Aringhæ, pedales pisces, in cratibus, sale ac fumo inueterati, nobis afferuntur. quibus Hermolaus cũ eas citaret proprium nomen non indidit, utpote qui Alecis uocabulum ab illis gentibus usurpatũ non probabat. Adducuntur quoq; ex finibus Gothiæ atq; Noruegiæ cubitales Merlucciæ, adeò duræ & extentæ, ut fustibus assimilentur, quas in delitijs Germanorum qui Vrbẽ incolunt, esse uidemus. Sed Thynnis præcipuè fora omnia, & tabernæ salsamẽtariorum replentur, de quibus latè in propio capite disseruimus. Salmones etiam Gallia Belgica quotãnis mittit, sed in plebis usum, quum saliti pristinam nobilitatem amittant. Cæterùm ex salitis palmam, omnium confessione ætate nostra obtinent Carpiones ex Benaco lacu, qui subfrixi modicè saliuntur. Referũt ij Troctarum saporem, atq; ipsam corporis speciem: nam & pulpæ eorum rufescũt, & argentea tergora uarijs punctis depingũtur. Sed quę in Troctis nigra sunt, in Carpionibus rubra conspicimus, ita ut is piscis qui Ausonio Salar uocatus est, proculdubio esse uideatur, quum in Mosella dicit: Purpureisq; Salar stellatus tergora guttis. Nullibi quàm in Benaco ex omni Italia Carpiones gignũtur: propterea factum esse crediderim, ut antiqui qui de piscibus scripserũt, ueluti de ignoto pisce potius quàm de ignobili nullam fecerint mentionẽ. Porrò omnis generis salsamenta sanguinem inflammant, bilem augent, & strãgurijs obsunt: his uerò, qui multa insulsa pituita repletum habent stomachum, siccando, detrahendoq; auxiliantur: immoderatè uerò his utentes, uel etiam senes ipsos uehementer ad Venerem incitare, pleriq; authores tradiderunt.

FINIS.

INDEX IN PAVLI IOVII DESCRIPTIONES REGIONVM ET DE PISCIBVS

hunc primum editus.


Bdua fl. in Larium lacum se exonerat, 97
Academia Oxoniensis quando instituta. 50
Accipenser piscis cur hac ætate euanuerit. 113
Accipenser piscis. 146
Actij Synceri de uarijs piscibus distichon. 133
Acus piscis difficulter parit. 145
Adelberti Regis Angliæ pietas. 8. genealogia. ibid.
Adelstanus Rex Angliæ, totius insulæ fit Monarcha. 50
Administratio regiæ aulæ Britanniæ. 16
Adrianus Pontifex homo ineptus & stupidus. 134
Aeris dispositio in Scotia. 26
Aeris temperies in Anglia. 15
Alces (Elend.) frequentes in Moscouia. 85
Alectum alias Deidonum appellatum opp. Scotiæ. 27
Aluredus Rex Angliæ. 49
Anates in Hybernia ex naufragiorum reliquijs nascuntur. 32
Angli Hyberniam irrito conatu inuadunt. 30
Angli in Britanniam transfretantes. 6
Angli tres reges amittunt in prælijs aduersus Britannos. 7
Anglia ad Christum denuo conuertitur. 8
Angliæ ditiones & præfecturæ. 9
Anglisea insu. 16
Anglorum præsidium Lutetia eijcitur. 71
Anguillæ unde dictæ. 145
Anguillæ quibus noxiæ. 145
Angusia opp. Scotiæ. 27
Annam Boleniam deperit rex Britan. Henricus. 18. 77
Anna Bolenia incestus conuicta morti condemnatur. 21. 78
Anni ratio apud Moscos. 93
Anselmus Cantuar. episcopus. 54. 55
Apitij cuiusdam delicata gulositas apud Athenæum. 127
Archestratus Dedalus cognominatus. 126
Archestratus popinarium delitiarum peritus. 134
Ardeæ in Anglia. 14
Aristotelis locus de natatu piscium. 147
Arthurus Britannorum Rex. 69
Arthurus Britanniæ Rex interit in ipso uictoriæ cursu. 7
Arthuri uirtus & encomium. 7
Arthuri Epitaphium. 7
Aselli, seu searmi quales pisces. 138 quomodo condiendi. ibid.
Attilus an sit sturio piscis. 121
Auratæ quando capiantur. 132. quomodo coquendæ. 133
Auratæ pisc. species. 132
Aurifodinæ in Scotia. 28
Autoris sententia: sturionem esse silurũ, comprobatur autoritate Plinij, Ausonij, Ambrosij. 123. 124. 125

B

Bangaria insu. 10
Barbati & Barbi quomodo differant. 136
Basilij magni ducis gesta aduersus Tartaros & procopytas. 95
Basilij magni Moscorũ ducis gesta cõtra Ruthenos Liuonos & polonos. 94
Basilij Moscouiæ ducis literæ ad Pontificem. 84
Basilius dux Moscouiæ iter tutum suis legatis Romam uersus petit. 83
Basilius Dux Moschouiæ, Rõ. Pont. concessione rex cupit appellari. 84
Bellica disciplina in Britannia. 15. 16
Bellũ primum Gallicum cum Anglis. 55
Bellum sacrum contra Saracenos susceptum. 54
Bendinellus Saulus Cardinalis à belua marina terretur. 116
Blenum Italiæ oppidũ uino fertile. 110
Boca qualis piscis. 139
Boetius Scoticarũ rerum scriptor. 27
Borysthenes fluuius. 89
Bos immanis Belua marina, deuorator hominum. 116
Aethiopem natatorem deuorat. ibid.
Bristolium urbs celebris emporio. 11
Britanni ab Anglis subiguntur. 7
Britanni à Britone Troiano oriundi 45
Britanni Anglosaxones contra Pictos & Scotos euocant. 46. ab eis eijciũtur. ibid.
Britanni cur Scotis inferiores. 6
Britanni & nomen & regnum insulæ cedunt Anglis. 7
Britanni quando fidem Christi susceperint. 4
Britanni pulsi à Pictis & uexati à Scotis. 6
Britanni angustia suæ regionis permoti in Galliæ littus Armoricũ traijciunt. 7
Britannia à quibus descripta. 4
Britãnia à Cæsare subacta Romanis primum cognita. 45
Britanniæ cõditio quæ hodie. 7
Britanniæ pars Romano pontifici uectigalis facta. 49
Britanniæ nomen quando mutatum. 48
Britannia quomodo ante uocata. 4. unde sic dicta. ibid.
Britannia quo tempore fidem Christianam suscepit. 45
Britannorum certamina cum Anglis de possessione insulæ. 7
Britannorum lingua quæ hodie. 7
Britannorum uictorum perfugia. 7
Burbarus piscis in Lario lacu frequens. 151.

C

Cadouoladrus supremus Rex Britannorum. 7
Caermandinum oppid. 10
Caledonia Sylua in Scotia inusitati generis feras, equos & Tauros indomitos alit. 29
Caletum Anglorum colonia deducta. 66
Caletum ab Edouardo expugnatur. 65
Cancri Hecticis & Febricosis conferũt. 154. morsui canum medentur. 155
Caniculæ beluæ marinæ astus à Plinio descriptus. 157
Cantabrigiæ academia nobilis. 1
Cantium ditio Angliæ. 9
Cantuaria metropolis Cantij. 9
Cantuaria urbs Episcopalis. 11
Canutus Daciæ Noruegiæ & Angliæ rex. 51

Canutus II. Angliæ & Daciæ rex 51
Veneno interficitur ibid.
Capitolius Orca à Plinio appellatus. 115
Capitolij fœtidus uapor regionem totã inficit 115
Capitolij seu orcæ cõtinua bella cum Balenis gerunt 115
Capitolius maximus piscis 115
Capitolius in ora Thuscorum quomodo captus 115. eius uastitas ibid.
Capo piscis qualis 135
Caponum genera 135
Capo à cytharo non multum differt 136
Capones ex mulorum genere 135
Carnisprivium papale pisces commendat 114
Carolus pulcher rex Galliæ 64
Carolus VIII. Gall rex 74
Carolus dux Burgundiæ 73
Cassiodori epistola qua Comum Liguriæ opp. describit 100
Cathanesiæ syluestrium regionis Situs 5
Catharina Huarda quinta Henrici regis uxor adulterij conuicta ceruice plectitur 21.78
Cathayni sub quo parallelo siti 88
Cephali capitis grauedinem inducunt. 132
Cephalorum differentiæ 132
Cereuisia seu Bira & Meto Moscorum potus. 94
Ceruorum frequentia in Angliæ. 14
Cestria urbs, emporio celebris 11
Cestbria oppid. sede Episcopali donatũ. 49
Chronologia Britannicæ historiæ 47
Citula, seu S. Petri piscis 142. Autorum sententiæ de eo uariant. ibid.
Ciuile bellum in Anglia ab Eboratense & Somersetense ducibus excitatum 72
Ciuile Bellum in Anglia per triennium durat quo rex capitur a nobilibus 62
Clemens pontifex repudij spem facit Henrico regi Britan. 19. hortante Cæsare contra repudium decernit. ibi.
Colmogora regio fertiliss. 87
Comensium calamitates bella Mediolanensia consecutæ 101
Comensis seu Larius lacus una cum finitimis regionibus accuratissimè describitur 97
Comi urbis pulcherrima descriptio 99
Comum à Mediolanensibus deletum 100
Comum à Friderico Aenobardo Impp. restituitur, nouisq; immunitatibus augetur 101
Comum bellis ciuilibus & factionibus euersum 101
Comum colonia Romanorum 9
Comum duobus Plinijs, quos genuit, nobilitata 98
Comum in Actij Vicecomitis potestatem cedit 101
Comum Orobiorũ stirps teste Catone 98
Concilium Parlamenti Londini de cudẽda moneta 61
Congrus piscis insipidus 143
Conlectura de uilla Plinij 103
Connatius Honel Holtoniæ princeps, Hyberniæ bellator egregius 30
Constantinus Cæsar matre Britanna natus 4
Constantinus Britanniam domat 46
Conuentria urbs Ang. 11
Conuentus Episcoporum Vintoniensis 53 Londinensis ibid.
Cornubia prouincia Angliæ 10
Coruus piscis nihil à Coracino differt. 130
Coruorum uis medica in paralyticis. 131 in pueris ibid.
Coruorum differentiæ secundum uaria flumina quibus deprehendũtur 130
Crimina præter incestum Annæ Bolenæ reginæ Britan. obiecta 21
Cutbertus Tonstallus Duuelmensis antistes 12
Cytrarcha nobile Emporium Tartarorum 89
Daci & Britanni Angliam infestant 8
Daci imperio Angliæ potiuntur 51
Daci ex Anglia iterum eijciuntur 52
Dauid rex Scotiæ 64.65
Dauid rex Scotiæ Anglos inuadens capitur 66
Delitiæ & luxuries Moscorum 94
Demetrius legatus regum Daniæ Sueciæq; 82
Demetrius legatus, internuncius earum rerum quæ hoc libro de Moscis referuntur 88
Disciplina militaris & militandi ratio in Hybernia 32
Diuidna fluuius instar Nili Aegyptij terram statis temporibus mundat 87
Dobra opp. Angliæ 99
Dounbreton Emporium & portus Scotiæ 27

E

Eboracensis & Lancastria familiæ nuptijs Henrici regis coniungũtur 9
Edelhardus rex Ang. 50
Edelredus rex Ang 51. à Dacis uictus, imperium insulæ eu cedit. 51. In Angliã redit ibid.
Edinburgum Scotorum regia 24
Edmundus rex Angl. ultimus 49
Edmundus rex Angliæ 50
Edoardus Garetterij equestris ordinis autor 8
Edouardus Ang. Rex 51
Edouardus Martyr Rex ang. 51
Edouardus sanctus rex xix. Ang. 52. Regnum institutis & legibus exornat 52. Strumam in pluribus solo tactu sanat ibid.
Eduardus senior rex Angliæ 50
Eduardus III. Angl. rex 64
Eduardus IIII rex Ang. 71
Eduardus IIII. capitur, et clam dimissus denuo uincit Varuicensem. 71. Regno Caroli Burgundi auxilio iterum restituitur, capto sororio Henrico 73
Eduardus V. Ang. rex 74
Eduardus Caletum Gallo adimit 8
Eduinus rex Angl. 50
Engeland unde sic uocata 45
Enumeratio uariarum imperij Britannici translationum 45
Equi hybernici 31
Esculenta uulgaria magis probãtur quã noua 150
Ethelbaldus rex Britan. 49
Exestria clarissima urbs 10
Expeditio Hierosolymitana 54.55
Expeditio Hierosolymitana à Gallo & Anglo suscepta quo euentu perducta 58

F

Factionum albæ & rubræ Rosæ in Anglia origo 63
Ferrariensium prouerbium de reb. diuersissimis 121
Fertilitas Scotiæ 26
Fœminarum Hybernicarum mira festiuitas 31
Fons memorabilis, Pliniorum encomio nobilitatus 116
Francisci Philelphi opinio de sturione refutatur 110
Franciscus Sfortia multas arces apud Lacum Larium diripit 104
Frossardus Gallus historicus 65

G

Galaxia de genere Lampretarum 146
Galli pugna nauali uincuntur ab Anglis. 61
Gangates lapis 18
Garetterij sodales unde dicti 8
Georgius Lilius Historicus 15
Glasquensis ciuitas Scotiæ Gymnasio & Archiepiscopatu nobilis 27
Gleba mirabilis uice ligni comburitur in Scotia 28
Gobio seu Gobius qualis piscis 139
Guielmi Latomerij uita & studia 44
Guilelmi Lilij peregrinationes pietatis & studiorum gratia. 38. eius opera. ibid. numerosa soboles. 39 Mors. ibid.
Guilhelmus Crocinius qualis philosophus 39

Guilhelmus Normannus Regiæ familiæ stirpem ad Britannos retulit 8
Guilhelmus Normannus, rex Britan. 53 Dacos profligat, & regnum legibus exornat 53
Guilhelmus Normannus à filio Roberto oppugnatur. 54. tria cœnobia ædificat ibid. eius obitus. ibid.
Guilhelmus rex Scotiæ capitur in Anglia 57
Guilhelmus Rufus rex xxij. Ang. 54
Gymnasium Sanctandreanū in Scotia 27

H

Habitus Hyberniorum 31
Haleces seu Arungi unde adferantur. 35. earū copia & natura. ibid.
Hamptonia urbs 11
Haraldus Ang. & Daciæ rex 52
Hebrides insulæ numero 43 ubi sitæ. 33
Hengisthi posteris regni administratio relinquitur 8
Hengisthus dux Saxonum. 6. uincit Scotos ibid.
Hengisthus Scotos contra Britannos accersit 6
Hengisthus dat pœnas perfidiæ morte sua 6
Henrici regis Angliæ incomparabilis eruditio forma & Robur. ibid.
Henrici uirtus militaris 18. 80
Henricus I. Ang. rex xxiij. 54
Henricus II. rex xxv. Ang. 56
Henricus Iunior subito extinctus 58
Henricus III. uiuo patre in regem coronatur, à patre deijcitur 57
Henricus III. rex Ang. 60. auxiliares copias ad Damiatæ obsidionem mittit. 60
Henricus IIII. rex Ang. 69
Henricus V. rex Ang. 70
Henrici V. stratagema quo celeberrima uictoria aduersus Gallos potitur 70
Henricus V. Rhotomagum capit 70
Henricus VI. Ang rex 71
Henricus VI. Angliæ rex in Galliæ regē Lutetiæ coronatur 71
Henricus VII. rex Ang. 8
Henricus VII. rex Ang. 74. urgente Maximiliano Impp. Gallo bellum infert. 75
Henricus VIII. rex Ang. 81. traiecto in Galliam exercitu regem uincit 81
Henricus autoritatem Pontificis per Britanniam abrogat 19. 77
Henricus Britanniæ rex Gallis memorabili pugna superatis, multa eorum oppida expugnat 17. 80
Henricus rex Ecclesiasticis redditibus ditatus 16
Henricus rex potestatem Ecclesiasticam per Britanniam sibi uendicat 19
Henricus Carolum Imperatorem hospitio excipit 17. 77
Carolo Imp. se iungit cōtra Frāciscū regem Gall. 14
Henricus Catharinam ducit in uxorē. 9
Henricus Edoardum patruum securi perti iubet 9
Henricus pseudo Eduardum uincit 9
Henricus pacem cum Ludouico & Francisco regibus Galliæ facit 18
Henricus tertias, quartas, quintas nuptias celebrat 21. 67
Heptarchia Anglosaxonum in Britannia 47
Heraldus II. rex Ang 53 occisus à Guilhelmo Normanno 53
Hermolai Barbari opinio de sturione refutatur Sturionem antiquitus Hyccā fuisse 123
Hieronymus & Dantes Stupanij fratres 107
Hieronimi Vidæ facetum dictum de Lacciæ prudentia 137
Hierosolyma recepta à Christianis 54
Hiona seu Chilca sedes Episcopalis in Orchadibus 33
Hiriba maxima Insula Hebridum unde sic appellata. 34. eius eleuatio poli 34
Horatij locus de pisce Lupo, testantis lupum aliū esse piscem quā sturionē 119
Hulla urbs 12
Hyberni fortiter Ang. dominatu se uindicant 30
Hyberni quibus dominis pareat 30
Hybernia uenenatis bestijs caret 32
Hyberniæ descriptio 29
Hyberniæ figura, situs, amplitudo, cōparatio ad Angliam 29
Hyberniæ regiones 30. 31

I

Iacobi nomen regibus Scotiæ fatale et infælix 24
Iacobus Scotorum rex in Anglia trucidatus 81
Iacobus rex Scotiæ 23. 24
Icesius græcus autor 132
Ichthyophagi lucis inopes in Schotlandia tempore brumali 34
Ioculare periculum cuiusdā pagani Mosci 91
Iohannis Coleti natales. 37 eius educatio studia, opera Mors 37
Iohannis Fischerij Roffensis uitæ curriculum. 24. Constantia. 43. supplicium ibid.
Iohannes Galliæ rex cum Philippo filio ab Eduardo in prælio capitur. 66. liberatur ibid.
Iohan. Ang. rex XXVII. 59. Arthurum ducem Britan prælio captū necat 59
Iohan. Ang. rex Eccl. hostis iudicatus à pontifice 59
Iohann. Baliolus Gallus, Scotiæ regnō post interregnum septennale præficitur 63
Iohan. Coletus omne suum patrimonium ad alendos pauperes erogat 38
Iohan. Fischerius Rofensis antistes securi percutitur 19. 77
Iohan VuiKleffius hæreticus in Ang. 67
Iosuæ imago insigne uexillorum Moscouitorum 95
Iouius libellum de piscibus dedicat Borbonio Cardinali 111
Iouius uniuersi orbis descriptionem cœpit 1
Incolarum Hyberniæ habitus, studia & mores 30
Index nouorum & antiquorum Scotiæ locorum appellationum 36
Index nouorum & antiquorum locorū in Britannia appellationum 11
Initium belli inter Gallos & Ang. propter aliquot naues captas 63
Insignia familiæ Iouiorum Aquila & columnæ Herculis 102
Insignia regni Angliæ unde orta 33
Insigniorū locorū Scot. descriptio 27. 28
Iter Orientis à multis pōtificibus frustra agitatum 83
Iter petendis ab India aromatibus repertum per mare Sarmaticum 83
Iudicij criminalis ratio apud Moscos 93

L

Laccia qualis piscis 136
Laccia Pomponium Lœtū & Flatinam quomodo fefellerit 136
Lacciæ ubi & quomodo capiantur. ibi.
Lacciam quomodo uocent Veneti, Hispani, Galli, Aristoteles, Aelianus 136
Lacciarum usus obest 137
Lacteus amnis, qui statis temporibus deficit & oritur 107
Lactei amnis natura piscibus uiuis inimiqua 107
Lactei amnis quidam admirabilem ortū expiscari conantur, sed conatu irrito & periculoso 19
Lampretæ quales pisces. 145 earū æstimatio antiquitus. 146. unde dictæ. ibi.
Lampreta an Lumbricus piscis 147
Lampreta parua Muræna, ex quorundam sententia 146
Lampreta Romæ C. argenteis nummis empta 146
Lampreta Latinis Mustela 146
Lampretæ quomodo parandæ 147
Lancastriȩ & Eboracensis de regno contentiones 79
Lanfrancus Cantuariensis Episcopus, Berengarij errorem refutat 54
Latitudo insulæ Ang. 10
Larij Lacus amœnitas 96
Larij lacus maxima latitudo 107

Larius Lacus aliàs Comensis, à Claudiano describitur 97
Lechia piscis 129
Lechiam antiquis centrena dicta 129
Lechiam antiquitus Amiam fuisse, testimonio Oppiani, Aristotelis Athenei comprobatur 129
Leucum oppidum munitissimum 108
Leges & lingua Scotorum 25
Lex quae reges Angliae insignia regni à Rom pontifice petere iubet 57
Linguae latinae admiratio apud Ang 15
Literarum Latinarum & Graecarum studia quando in Britannia excoli ceperint 81
Lithuaniae situs 86
Liuoniae LXX confoederatae urbes contra Moscos 94
Locusta antiquitus carabus. 154 ubi frequentior sit ibid.
Locusta crustaceorum piscium lautissima 154
Loligo qualis piscis 153. quid conferat ibid.
Lucius piscis ubi capiatur 151. salutaris est ibid.
Luciorum tostorum uis medica ad frangendum calculum 152
Ludouici Sabellici miserabilis interitus 108
Ludouicus Crassus rex Galliae 55. 56
Ludouicus XI. Galliae rex Carolo VIII succedit 71
Ludouici XI. Gall. regis festiuum dictum de amicitia Scotica 25
Ludouicus XII. Galliae rex Iulium Pontificem bello premens, Angl. subita in Galliam irruptione reuocatur 17
Lupi piscis diuersae in diuersis regionib. appellationes 118
Lupi, qui & Spigola, uariae appellationes apud recentiores 131
Lupi quomodo Romae capiantur 131
Lupi ex Anglia proscripti 14
Lupus graecis Labrax 131
Lupus piscis Labraca à Graecis appellatus 121
Lupum esse alium piscem quam Lucium 120. 121
Luporum differentiae 131
Luporum pis. carnes à Galeno commendantur 131
Luxus Anglicus quomodo in Galliam & Belgium translatus 14
Luxus Scotorum in Cibo & potu 26

M

Andellum oppidum ad cautes Larianas 108
Margarita Poli mater captiua 20
Marina aqua quomodo piscibus conueniat 145
Martarum & Zebellinorum pelles unde afferantur 87
Maximum bellum inter Gallos & Ang. per plures annos gestum 65
M. Cumanus poeta, Comensium calamitatem robusto carmine decantat 101
Melandrya Plinio ignobilior pars Thynnorum dicta 127
Melanurus magister percarum 140
Melanurus alius quàm Oculata secundũ Hermolaum 140
Metropoles quatuor in Hybernia 31
Militandi ratio apud Moscos 95
Militandi ratio apud Scotos 25 26
Mirabella domus 111
Miraculum quoddam naturae in Hyb. 31
Mnasea Colophonius Salpa cognominatus 139
Mona insula è regione Angliam mediam respicit 30
Mõstrosi homines in extremis Noruegiae littoribus 35
Monomachia inter duos equites Anglicos 68
Moschua urbs primaria Moscorum. 88. 90 eius descriptio ibid.
Moschua quantum distet à Rom. 90. Item à Riga ibid.
Mosci philosophiae & Astronomiae Medicinaeq; rudes 93
Mosci qua lingua utantur 93
Moscorum religio & fides. 91. de Spiritu S. error. ibid de sacramento Coenae. ibid. purgatorium inter aniles fabulas reputant. ibi. de Rom. principatu. ibi.
Moschouia quarum frugum ferax 90
Moschouiae amplitudo. 88. descriptio. ib.
Moschouiae situs Straboni, Ptolomaeo Plinioq; parum notus 82
Moschouitarum nomen recens 85 88
Moschus fl. 88 89
Mugil innocens piscis 132
Mugiles Graecè, Latinè cephali 131
Mugiles quomodo condiendi, secundum Galenum 132
Mugilum admirabilis uelocitas 131
Mulierum Anglicarum cultus 14
Murena sagax piscis 144
Murenarum aestimatio Romae 144
Murenae cum serpentibus coeunt 144
Murenae in delitijs haberi solitae Romae. 144
Murenae quomodo parentur 144
Murenam fato functã luget Crassus 144
Murus & Myrenus Plinio ex Murenarum genere 144

N

Essium oppidum 110
Nodrosium Noruegiorum caput ueteribus Cosmographis incognitum 34
Nordouicum urbs Angl. 11
Nortmandia amplissima Angliae prouincia 11
Normannia tota Gallis deditur 72
Noruegiae littora in hospita 35
Nouogrodia metropolis aliquando Moscouiae 89. eius latitudo ibid.
Nuptiae Henrici Imperatoris & Machtildis filiae Henrici regis Ang. 55

O

Enus fl. Menis antiquitus appellatus 124
Oppianus Bouem Marinum descripsit 116
Oraculum Hyberniae, quo peccata expiantur 31
Orchades insulae numero triginta 34
Orchades quibus regibus pareant 34
Origo familiae Iouiorum 102
Orphus qualis piscis 135
Ostrea ubi frequenter capiantur 155. quid conferant aut noceant ibid.
Otho IIII. Imperator Angliam ingreditur 59
Oxouium Academia nobilis 12

P

Acis nerui sub Iacobo 5 rege Scotiae 26
Pagri grandescentes in dentices euadere existimantur 133
Pagri etiam Febricitantibus conducunt praeter caeterorum piscium naturam. 132
Pagris condiendis quid maximè obseruãdum 134
Paulus centurio Genuensis, iter orientale meditatur 62
P. Bembus Benacum descripsit Giberto. 111
Perca qualis piscis 140. quid conducat. 140
Perca percecus etiam dicitur 141
Peregrinationes piscium 113
Pestilens sudor primum in Ang'ia 74
Philelphi opinio de pisce sturione refutatur 121
Philippi cuiusdam apud Columellam facetum dictum de pisce Lupo. 120. 148
Philippus Comineus historiographus. 74
Philippus pulcher rex Galliae 63
Physiter, flator latinis, Beluamarina, Caesarianos nautas terret 116
Picti unde orti 5
Pigmaei ubi reperiantur 87
Piscandi etiam artes interiere 113. Instrumenta etiam defecere ibid.
Piscatores Romani Vmbrinae piscis capitibus triumuiris uectigales 126
Pisces ijdem diuersas appellationes habent 115

Pisces quidam certo anni tempore saltē conspiciuntur. 115
Pisces quidam raritate commēdati. 114
Pisces qui squamosi & qui plani. 141
Pisces semel cocti, asseruatique & uasorum conclusi operculis mortiferam acquirunt qualitatem secundum Medicos. 133
Pisces sicciorís pulpæ quomodo condiendi. 135
Piscinæ ad mare institutæ. 114
Piscium nomina quæ in hoc opere continentur. 112
Piscium media ætas optima. 151
Piscium Veterum nomina cur aboleuerint. 114
Platinæ error de tincis piscibus. 151
Plinlana uilla, Tragædia appellata, ubi sita. 109
Plinius medicus quando uixerit. 150
Pogij opinio de sturione refutatur. 118
Pogius Vehemens parasitus pisciumque ἴσως. 118
Polydorus Vergilius Britanniæ originē fabulosè perscripsit. 4
Polypi mira Solertia. 152. arma. ibi.
Polypus ex eorum genere qui molles dicuntur. 152. Venere expirat. ibid.
Pomonia clarißima insula Orchadum. 34
Pons insignis structura Abduæ superstructus. 108
Porcus marinus alius quā sturio. 123
Præcopitæ in Taurica chersoneso, Moscorum finitimi. 86
Prosapia regum Scotorum ex stuarda domo propagata. 24
Pudicitia in paruo pretio in Hybernia. 31

Q

Væ terræ quibus fructibus cōferant. 152
Qui pisces quibus Volatilibus collati. 141
Qui pisces quibus Dijs olim sacri habebantur. 139. 142
Qui pisces quibus aquis degant. 152
Quo tempore Anglosaxones Britanniā primum ingreßi sint. 46

R

Aiæ & Rhinobates piscis. 143
Raphael Volaterranus piscium historiam condidit. 117
Ratio præliandi apud Britannos. 15
Reditus regni Britanniæ. 16
Regia Hyberniæ. 30
Reginaldus Polus Britannus in Roffensis locum à pontifice suffectus. 20. 78. Repulsus Romam redit. ibid.
Regiones Vectigales Moscis. 88
Regum Angliæ series. 48
Rex Alerudus tria cœnobia condidit. 49
Rhiphæi montes nusquam extant. 89
Rhodus à Christianis ducibus expugnatur. 63
Rhombi præstantia. 141
Rhombi quomodo condiendi. 142
Rhombus aquatilis phasianus. 141
Rhombus unde dictus. 141
Ricardus Pacæus. 12
Ricardi Pacæi Britanni præstantia. 42. casus. ibid.
Richardus rex Angliæ. 8
Ricardus Rex Angliæ. 58
Ricardus Henrici Regis frater Germanorum imperator coronatus. 61
Ricardus Rex Ang. malè administratæ Reip. damnat⁹ supplicio afficitur 96
Ricardus II. Rex Ang. 68
Ricardus tertius Ang. Rex. 74 in acie occiditur. 74.
Ricardus in Syriam contra Saladinum traijcit. 8
Ricardus Viennæ in Austria capitur. 8
Ricardus Rex Angliæ prælio uictus occumbit. 9
Ricardus post expeditionem Hierosol. Viennæ in Austria captus. 59. in obsidione Calaci oppidi Galliæ ueneno extinguitur. 59
Ridicula impostura Leonis X. qua pseudolampetra quendā monachū illusit. 149
Ridicula fabula de T. Tamisio Romano aulico. 118
Roberti Regis periculum in Sylua Caledonia. 29
Rota bellua marina, Cetarij generis Lusitanam classem terret. 116
Rotunda mensa amicorum ab Arthuro instituta. 7
Rußi albi sunt Mosci. 86
Rußia quibus gentibus olim habitata. 86

S

Alpa pulcherrimus piscium. 134
Salpa semper malus pronunciatus. 134
Salpa ubi capiatur. 134
Salpæ astutia. 134
Salsamenta ex quibus piscibus optima. 156. quid conferant. ibid.
Sapidißimum obsonium ex Thynnorū Ventre. 128
Sapphyrus piscis qui dicatur. 132. Vnde sic dicatur. ibid.
Sargi quomodo capiantur. 134. Caprarum amatores cur dicti. ibid.
Sargus piscis optimus. 134
Saurus piscis. 138
Saurus prænobilis Græciæ piscis ab Ennio Iouis cerebrum appellatus. 113
Scarus piscis preciosißimus apud antiquos. 133
Schotlandiæ insulæ ubi sitæ. 34. earum conditio. 34
Scombrus piscis olim Lacertus appellatus. 138
Scorpæna qualis piscis. 140
Scorpænam & Scorpionem diuersos esse secundum Aristotel. 140
Scoti ab Anglis uicti tributa eis pendunt. 14
Scoti Britanniam subigunt. 5
Scoti ex Hybernia progreßi Britanniā occupant. 5
Scoti unde primum progreßi. 23
Scotia ad Christum conuersa. 24
Scotia minus culta quam Anglia. 28
Scotia unde sic uocata. 5
Scotici militis autoritas in Gallijs. 25
Scotiæ situs. 23
Scotorum & Gallorum hæreditarium fœdus & mutuæ operæ contra Britannos. 25
Scotorum transmarinæ expeditiones cū regibus Gallis & Anglicis contra Saracenos. 24
Scythæ seu Tartari, Moscis ab ortu finitimi. 85
Scythiæ situs ad Orchadas Sueciam & Gothiam. 34
Semera tertia uxor regis Hērici Britā. Edouardum enixa, doloribus partus extinguitur. 21
Seminaria piscum non raro degenerāt. 132
Sepia & Loligo quomodo differāt. 153
Sepia uenerem excitat. 153
Septem urbes nobilißimæ in Anglia. 11
Sergius Romanus patricius unde cognominatus. 132
Series regum Angliæ usque ad Henricū octauum. 6
Series & numerus regum Scotiæ. 23
Sigismundus Imperator in Angliam traijcit. 70
Siluri nomen quomodo in sturionem abierit. 125
Solea, linguacula & Biglossus dicta. 142
Solea piscis quomodo condienda. 142
Stambueco syluestris caper, frequens in uallib. uolturrenis & clauennatibus. 105
Stephanus Rex Ang. XXIIII. 58
Stepanus Rex Ang. à Mochtilda oppugnatur & capitur. ib. moritur ib.
Sturio quo anni tēpore lautißimus. 118
Sturio quomodo ab antiquis appellatus. 117. à Volaterr. ib. Th. phædro. ib.
Sturio sapidißim⁹ piscis & procer⁹. 117
In quibus fluminibus repertatur. 117
Sturiones an lupi antiquis fuerint dicti. 118

Sturiones cur antiquitus uiliori precio. 125
Sturionem nõ esse lupum, ex testimonio Horatij. 119
Sturionis forma. 117
Succini quòd Ambra uocatur, prouentus in Scotia. 28
Sudor Anglicus unde. 14
Syluestres describuntur. 5
Syluestres quomodo uerum Deum colant. 5
Syluestrium lingua. 5
Synodantes pisces latinè Dentices. 133. Item Synodi & Characes. ibid.

T

Tamerlanes Tartarus ubi natus. 86
Tanais fl. 89
Tarentellũ à Romanis Abdomen Thynni uocatur. 127
Tartari inter Tanaim & uolgam amnẽ quibus pareant. 86
Tartari ἁμαξόβιοι. 85
Tartarorum fines. 85. 86
Templorum honor & obseruatio apud Moscos. 92
Theodori Gaze, & Hermolai opinio de Coruo pisce. 130
Theodori Gazæ opinio de sturione refutatur: sturionem esse Torsionem apud Plinium. 121
Thomas Bolenius unus ex iudicibus damnatoribus filiæ suæ Reginæ. 21
Thomas cantuariensis Episcopus in exilium actus. 57. restitutus. ibid. Trucidatus. ibid.
Thomas Dacreus & Carolus Brandonnus Bellatores insignes Britanniæ. 16
Thomas Hauardus Bellator Britãnicus. 16
Thomas Linacer. 12
Thomas Linacer ubi literis operam dederit. 40. Arthurum reg. Britanniæ filium instituit. ibid. Insignis medicus ibid.
Thomæ Linacri opera. 40. Morbus quo interijt. ibid.
Thomas Lupsetus fœlicißimi ingenij. 40. Eius studia & professio. 41. Immaturus obitus. ibid.
Thomæ Mori excellens eruditio. 43. Honores. ibid. opera. 44. Supplicium. ibid.
Thomas Morus securi percutitur. 19. 77
Thomas Vuolseius Card. Eboracẽsis autor repudij Regis Henrici. 18. 19
Thomæ Vuolsei Card. Eboracensis interitus. 19
Thynni in quantum excrescant secundum Plinium. 128
Thynnorũ copia in omnibus littoribus. 127
Thynnorum fœtus quomodo gradatim appellationes sortiantur. 127
Thynnorum iecinorum mira uis ad prohibendum puerorum lanuginem. 128
Thynnorum pinguedo. 128
Thynnorum Salsitorum uis 128
Thynnorum tanta docilitas ingenij ut linguam Græcam intelligere uideantur. 128
Thyle, quã Virgilius Carmine celebrat, quæ intelligatur insula. 34
Tinca ignobilis piscis. 150. Vbi capiatur. 151
T. Liuij patauini decades ubi integræ asseruentur. 33
Torpedo qualis piscis. 143. Vnde dicta. 143
Tractatus de piscibus difficillimus cur? 111
Trachina piscis, olim Trachurus appellatus. 138
Trigla Græcè, Latinè mullus, qualis piscis. 137. quanti æstimatus apud ueteres. ibid.
Triglæ quomodo coquendæ. 138
Triglæ in uino suffocatæ uis. 138
Trocta qualis antiquitus piscis nondum inter eruditos constat. 149
Trocta secundum Aelianum quid. 149
Troctæ quomodo pariantur. 189
Troctæ ex luporum genere. 149. ubi reperiantur. ibid.
Troctis pisces, Romanis lupus cognominatus. 101
Tuedus amnis Angliam à Scotia diuidit. 9
Turnensium calamitas. 110
Turni promontorium in arcum curuatum. 110
Turriani Insubrum principes unde oriundi. 106

V

Vectis insula. 10
Vellera lanarum nobilißima in Anglia. 14
Vetus piscatio cur à recentiori sit diuersa. 113
Victoria Anglorum apud Salopiam. 69
Victoria celeberrima Anglorum, aduersus Gallos. 65
Vina Aquosa Ludouici Sfortiæ gustu probata. 110
Vmbrina siue Vmbra piscis qualis. 126
Volga seu Rha fl. 89
Volodemaria regia Moscorum. 90
Vortigernus Britannorum Rex primus. 6
Vortigerius sæpius infœliciter pugnat cum Scotis. 6
Vortigernus ex Saxonia Anglos accersit. 6
Vortigerius Ronicen Hengisthi filiam ducit in uxorem. ibid.
Vortigerius moritur. 6
Vri seu Bisontes frequentes in Moschouia. 85
Vstiuga celebre Emporium in Moscouia. 87
Vtopia ad Beatæ reip. exemplum conscripta à Thoma Moro. 44
Vxorum obseruatio sollicita apud Moscos. 94
Vualles, quid Germanis significet. 7
Vuallia prouincia Angliæ. 10
Vuallia habet 5. Episcopales ciuitates. 10
Vualliæ principatus certißimus est successionis gradus in regno Angliæ. 12
Vuallij sunt ueteres Britannates. 7

X

Xyphij pisces quanti æstimentur. 126
Xyphij seu Spathi pisces Thynnis infensi. 127

Y

Yorca aliàs Eboracum, urbs in Normannia. 11

Z

Zebellianarum pellium copia in Moscouia. 91
Zephyrium Italiæ promontorium.

FINIS.

BASILEÆ
Ex Officina Petri Pernæ.

Cum Gratia & Priuilegio S. Cæs. Maiest.

CIↃ IↃ LXXVIII
Kalend. Martijs.